

J. J. Ellendt.


De formis enunciatorum conditionalium linguae Latinae commentatio.

DE FORMIS
ENUNCIATORUM CONDITIONALIUM
LINGUAE LATINAE
COMMENTATIO.

SCRIPSIT

FRIDERICUS ELLENDT A. M.

LITT. VETT. IN UNIVERSITATE LITERARIA REGIMONTANA P. P. E.



REGIMONTII PRUSSORUM,

SUMTU FRATRUM BORNTRÆGER.

1827.



PRAEFATIO.

Commentationis huius iam ante menses ferme decem et octo absolutae partem maiorem in scriniis nostris retinuimus, altera eo tempore utentes, qua, uti in Universitate Literaria Regimontana mos est, munus Professoris Veterum Literarum extraordinarii Regis Optimi clementia et Administrorum summe venerandorum benignitate collatum, solenni, quam vocant, disputatione auspicaremur. Cum vero argumentum quod pertractare susceperamus, haud parum ad artem grammaticam vel supplendam vel corrigendam pertinere videretur, totum nunc opusculum in lucem publicam prodire iubemus; additis, tum quae in illo disputandi certamine necessaria non censebamus, ut quae in paucorum tantum notitiam perventura essent, in quo genere illa sunt, quae contra Ramshornium, celebratum in hac arte nomen, disseruimus: tum eis, quae postea demum ex libris olim vel non cognitis vel non adhibitis hausimus; ad quos in primis pertinet Ottonis Schulzii V. Cel. grammatica uberior, et aliquot

Gernhardi, Viri Doctissimi commentationes, bonarum rerum plenissimae, quae nuper demum in Seebodii, V. III., Diario (Archiv für Philol. und Pädagogik, a. 1826. fasc. II. et III.) insertas legimus.

Quod superest, aequos peritosque artis nostrae existimatores etiam atque etiam rogatos esse volumus, ut his nostris disputationibus, quantum possint, si merebuntur, faveant.

Scribebam Regimontii Prussorum, d. X. Novembris, MDCCCXXVI.

§. 1.


De conditionalium dictorum linguae Latinae usu et ratione expposituro mirum videri debeat, quod nemo fere omnium, qui res grammaticas tractaverint, ad rem tam diffusam, tam gravem, tam dignam intellectu, accuratius illustrandam, dedita opera incubuerit. Nam Gerardus Ioannes Vossius, vir ingenii pariter acumine atque doctrina magnus, statim ab initio rei bene gerendae opportunitate exclusus est, quod omnem de enunciatis componendis s. formandis doctrinam (*Satzbildungslehre*) per particularum occasionem tetigit. Ruddimanni liber doctus sane et minime vulgaris, qui nuper primum in Germania editus est, in hac doctrina pariter atque Sanctii Minerva, licet Perizonii et Baueri curis aucta, nos destituit. Recentiores sunt Schellerus, Grotefendius, Zumptius. Et illos quidem verbo tetigisse satis est; Zumptius autem, eorum qui hodie Latinae grammaticae operam dant, facile peritissimus, cum ab optimis fundamentis orsus, et insigni acumine et praeclara doctrina librum suum exornarit, de conditionalibus dictis nihil fere, praeter notulas quasdam forte oblatas posuit. (vid. Gr. p. 391. sqq.) Ramshornius autem, V. D., cum, quod non libuit aliis plerisque, de nostro loco ex professo agere instituisset (p. 581. sqq.), eam rationem iniit, quae non errore modo, ut levissimum dicam, laborare, sed iam in ipsis principiis ita sibi non constare videtur; ut regulas ex illo fonte ductas

DE FORMIS ENUNCIATORUM CONDITIONALIUM LINGUAE LATINAE COMMENTATIO.

SCRIPSIT

FRIDERICUS ELLENDT A. M.

LITT. VETT. IN UNIVERSITATE LITERARIA REGIMONTANA P. P. E.



REGIMONTII PRUSSORUM,

SUMTU FRATRUM BORNTRÆGER.

1827.



PRAEFATIO.

Commentationis huius iam ante menses ferme decem et octo absolutae partem maiorem in scriniis nostris retinuimus, altera eo tempore utentes, qua, uti in Universitate Literaria Regimontana mos est, munus Professoris Veterum Literarum extraordinarii Regis Optimi clementia et Administrorum summe venerandorum benignitate collatum, solenni, quam vocant, disputatione auspicaremur. Cum vero argumentum quod pertractare susceperamus, haud parum ad artem grammaticam vel supplendam vel corrigendam pertinere videretur, totum nunc opusculum in lucem publicam prodire iubemus; additis, tum quae in illo disputandi certamine necessaria non censebamus, ut quae in paucorum tantum notitiam perventura essent, in quo genere illa sunt, quae contra Ramshornium, celebratum in hac arte nomen, disseruimus: tum eis, quae postea demum ex libris olim vel non cognitis vel non adhibitis hausimus; ad quos in primis pertinet Ottonis Schulzii V. Cel. grammatica uberior, et aliquot

Gernhardi, Viri Doctissimi commentationes, bonarum rerum plenissimae, quae nuper demum in Seebodii, V. III., Diario (Archiv für Philol. und Pädagogik, a. 1826. fasc. II. et III.) insertas legimus.

Quod superest, aequos peritosque artis nostrae existimatores etiam atque etiam rogatos esse volumus, ut his nostris disputationibus, quantum possint, si merebuntur, faveant.

Scribebam Regimontii Prussorum, d. X. Novembris, MDCCCXXVI.

§. 1.

De conditionalium dictorum linguae Latinae usu et ratione expadsituro mirum videri debeat, quod nemo fere omnium, qui res grammaticas tractaverint, ad rem tam diffusam, tam gravem, tam dignam intellectu, accuratius illustrandam, dedita opera incubuerit. Nam Gerardus Ioannes Vossius, vir ingenii pariter acumine atque doctrina magnus, statim ab initio rei bene gerendae opportunitate exclusus est, quod omnem de enunciatis componendis s. formandis doctrinam (*Satzbildungslehre*) per particularum occasionem tetigit. Ruddimanni liber doctus sane et minime vulgaris, qui nuper primum in Germania editus est, in hac doctrina pariter atque Sanctii Minerva, licet Perizonii et Baueri curis aucta, nos destituit. Recentiores sunt Schellerus, Grotefendius, Zumptius. Et illos quidem verbo tetigisse satis est; Zumptius autem, eorum qui hodie Latinae grammaticae operam dant, facile peritissimus, cum ab optimis fundamentis orsus, et insigni acumine et praeclara doctrina librum suum exornarit, de conditionalibus dictis nihil fere, praeter notulas quasdam forte oblatas posuit. (vid. Gr. p. 391. sqq.) Ramshornius autem, V. D., cum, quod non libuit aliis plerisque, de nostro loco ex professo agere instituisset (p. 581. sqq.), eam rationem iniit, quae non errore modo, ut levissimum dicam, laborare, sed iam in ipsis principiis ita sibi non constare videtur; ut regulas ex illo fonte ductas

DE FORMIS

ENUNCIATORUM CONDITIONALIUM LINGUAE LATINAE

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

FRIDERICUS ELLENDT A. M.

LITT. VETT. IN UNIVERSITATE LITERARIA REGIMONTANA P. P. E.

REGIMONTII PRUSSORUM,

SUMTU FRATRUM BORNTRÆGER.

1827.



PRAEFATIO.

Commentationis huius iam ante menses ferme decem et octo absolutae partem maiorem in scriniis nostris retinuimus, altera eo tempore utentes, qua, uti in Universitate Literaria Regimontana mos est, munus Professoris Veterum Literarum extraordinarii Regis Optimi clementia et Administrorum summe venerandorum benignitate collatum, solenni, quam vocant, disputatione auspicaremur. Cum vero argumentum quod pertractare susceperamus, haud parum ad artem grammaticam vel supplendam vel corrigendam pertinere videretur, totum nunc opusculum in lucem publicam prodire iubemus; additis, tum quae in illo disputandi certamine necessaria non censebamus, ut quae in paucorum tantum notitiam perventura essent, in quo genere illa sunt, quae contra Ramshornium, celebratum in hac arte nomen, disseruimus: tum eis, quae postea demum ex libris olim vel non cognitis vel non adhibitis hausimus; ad quos in primis pertinet Ottonis Schulzii V. Cel. grammatica uberior, et aliquot

Gernhardi, Viri Doctissimi commentationes, bonarum rerum plenissimae, quae nuper demum in Seebodii, V. III., Diario (Archiv für Philol. und Pädagogik, a. 1826. fasc. II. et III.) insertas legimus.

Quod superest, aequos peritosque artis nostrae existimatores etiam atque etiam rogatos esse volumus, ut his nostris disputationibus, quantum possint, si merebuntur, faveant.

Scribebam Regimontii Prussorum, d. X. Novembris, MDCCCXXVI.

§. 1.

De conditionalium dictorum linguae Latinae usu et ratione expondituro mirum videri debeat, quod nemo fere omnium, qui res grammaticas tractaverint, ad rem tam diffusam, tam gravem, tam dignam intellectu, accuratius illustrandam, dedita opera incubuerit. Nam Gerardus Ioannes Vossius, vir ingenii pariter acumine atque doctrina magnus, statim ab initio rei bene gerendae opportunitate exclusus est, quod omnem de enunciatis componendis s. formandis doctrinam (*Satzbildungslehre*) per particularum occasionem tetigit. Ruddimanni liber doctus sane et minime vulgaris, qui nuper primum in Germania editus est, in hac doctrina pariter atque Sanctii Minerva, licet Perizonii et Baueri curis aucta, nos destituit. Recentiores sunt Schellerus, Grotefendius, Zumptius. Et illos quidem verbo tetigisse satis est; Zumptius autem, eorum qui hodie Latinae grammaticae operam dant, facile peritissimus, cum ab optimis fundamentis orsus, et insigni acumine et praeclara doctrina librum suum exornarit, de conditionalibus dictis nihil fere, praeter notulas quasdam forte oblatas posuit. (vid. Gr. p. 391. sqq.) Ramshornius autem, V. D., cum, quod non libuit aliis plerisque, de nostro loco ex professo agere instituisset (p. 581. sqq.), eam rationem iniit, quae non errore modo, ut levissimum dicam, laborare, sed iam in ipsis principiis ita sibi non constare videtur; ut regulas ex illo fonte ductas

vix intelligere quisquam aut sequi possit: imo, ut pronuntiare confidentur ausim, ipse harum regularum auctor non poterit, quin a praeceptis, a se positis, si recte sentire et scribere voluerit, desciscat. Dicit enim p. 581. C. I.:

Conditionalsätze heißen solche, von welchen der eine einen angenommenen Fall aufstellt, der andere die Folge angiebt. Der erstere, oder der *Bedingungssatz, bei welchem der Redende jedesmal das in der Wirklichkeit vorhandene Gegentheil im Auge hat*, ist hier als untergeordneter zu betrachten, etc.

Est sane genus dicti conditionalis, quo posito, contrarium revera esse sumimus; ut si dicas: *si non esset deus auctor, non exstaret mundus*, sane cogitas illud quod est huic sententiae contrarium: *At est auctor, ergo etiam mundus exstat.* Sed quod partem, id non totam rem continet. Quid? decreti illius auctor num etiam in huiusmodi dicto de contrario revera exstante cogitabit: *Si est animus hominis immortalis est etiam deus.* Num non est immortalis? Censemus utique. Satis igitur responsum videtur. Nam quae proxime sequuntur, adeo non sunt illustrandae sententiae priori, ut ipsa per se non sane omnibus intelligi posse videantur. Nos quidem multum cogitantes, ut intelligeremus, non effecimus. Pergit auctor pag. ead. infr.

Nimmt er (der Redende) sie (die Voraussetzung) *bedingter Weise, der Wirklichkeit entgegengesetzt*, so braucht er den Conjunctivus desselben Tempus, welches er für die Wirklichkeit gebraucht haben würde.

Hoc si primo spectes, ad tertium conditionum genus, de quo statim pergit V. D. videtur pertinere; sed accuratius inspiciens animadvertit, illud intelligi, quod prorsus incertum et sine assensus nota, num eventurum sit, nec ne, profertur. In tali vero genere neque omninm temporum coniunctivis uti licet, neque usi sunt Latini, sed praesente solum et praeterito, hoc quidem nonnisi in apodosi; de qua re uberius disputabimus §. 3. cf. Zumptium Gr. p. 391. O. Schulzium p. 472. Illud quod sequitur p. 582.:

Denkt er sich aber diese Möglichkeit nur unter Voraussetzung anderer Umstände, als die wirklichen sind, so braucht er zwar ebenfalls den Conjunctivus, *geht aber um ein Tempus zurück*.

non perspiciebamus, antequam legeramus, quae p. 584. ponuntur, unde patet hoc significari, in illo genere conditionis imperfecto in re praesente, plusquamperfecto in re praeterita Latinos uti. Verum est: sed, Di boni, quis hoc eis verbis diceret? Est enim praesentis et imperfeoti, perfecti et plusquamperfecti non ea affinitas et significandi similitudo, ut recte possit dici, alterum ab altero uno quasi intervallo distare: non satis enim scimus rem aliis verbis Latine exprimere. Quae vero sententiae suae documenta attulit, partim ex eo genere sunt, quae rem plane non tangunt. Ut illud Quintiliani X. 1, 62. Stesichorus si tenuisset modum, videtur aemulari proximus Homerum potuisse. — Nonne miramur, tam concinne Latinos praesens et plusquamperfectum sociare scisse: *si tenuisset modum, videtur?* At est orationis obliquae dictio,

cuius regulae plane aliae sunt; ergo totum exemplum ab re erat. Alia exempla, et longe quidem plurima, ut quae totam fere paginam 585. teneant, ad permutationem modorum indicativi et coniunctivi pertinent, de qua optime egit Gernhardus commentatt. Gr. nr. III. Omnino quid hoc est regulae, p. 584. 3.

(Steht) der Bedingungssatz im Conj. um ein Tempus zurück: dann steht der Nachsatz

a) im Indicativo, wenn er nicht *als eigentliche Folge* zu betrachten ist, sondern einen, auch ohne Rücksicht auf den Bedingungssatz für sich bestehenden — Zustand bezeichnet etc.

Pertinet igitur ad periodos conditionales, in qua conditio consequens aliud et habet et non habet? Imo illa ad dicta conditionalia plane nullo modo spectant, quorum exemplum tale ponit Ramshornius l. c. ex Virgilio Ecl. IX. 44.

Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
Audieram? Numeros memini, si verba tenerem.

Nam illa *si verba tenerem* aut optativo modo accipienda, et distinctione posita a prioribus disiungenda sunt; aut elliptica dictio est, sic supplenda: Memini numeros, teneremque omnia, si verba tenerem.

Illud autem genus enunciatorum conditionalium, quo eventum a causa tempore etiam proxime suspendentes Graeci ἐὰν c. coniunctivo, futurum aut praesens aoristi addentes, usurpant, de quo disseremus §. 5., omnino ignorat Ramshornius. Hanc igitur doctrinam neque rei exhauriendae esse, neque sibi constare, satis demonstratum putamus.

Paucis tangendus V. D. Otto Schulzius, qui a tractandis coniunctivi modi muneribus orsus, brevia quidem de argumento nostro, sed vera ponit. Dissentimus tamen in uno illo, quod continetur p. 472. nr. 16. v. infr. §. 3. Quae p. 473. exhibentur, aut ad modorum permutationem pertinent, aut similitudinem tantum dictorum conditionalium prae se ferunt, de qua re agemus §. 9. Quartum autem illud conditionum genus, a Ramshornio omissum, apud Schulzium etiam frustra quaesivimus.

Sed et huius doctrinae, ut multorum in utraque lingua ante parum intellectorum primordia Hermannus, Vir Summus, aperuit; (ad Viger. not. 312.) cuius vestigia persequentes rem latius indagare conabimur. In quibusdam respiciendus et in consilium adhibendus erit Kruegerus V. D. *). Verum ante quam ad summam rem aggredimur, generalia quaedam praecepta exponenda videntur, sine quibus ut expeditam viam habeamus, fieri non potest.

Quod ad modos verbi pertinet, primum omnium pronuntiamus, verissimam videri, quam multi VV. DD. ante nos professi sunt, eam rationem, ut indicativus res per se, s. nude positas, coniunctivus autem Latinus, res ex mente agentis spectatas, (velut luminis radios vitro fractos) vel in cogitationem inclusas notet. Qua in re cum Hermanno, Buttmanno, Gernhardo, Zumptio, aliis, si opus est, errare malumus, quam cum Tiburtio **) iudicare,

*) Untersuchungen aus dem Gebiet der lateinischen Sprachlehre. Braunschweig 1821. Zweites Heft.

**) Tiburtius, vom Konjunktiv d. lat. Spr. Leipz. 1821.

qui nuper non sine verborum inanitate novam modorum rationem protulisse sibi visus est. Is enim, quod in parte verum est, totam rem continere vult: coniunctivos semper, ad quod referantur, desiderare, et inprimis verba, praedicatae, q. d. notionis vice fungentia, illustrare; indicativum autem unam aliquam totius enunciati partem, praeter verbum finitum. In hac re demonstranda, praeter parum firmos testes Grammaticos, Perizonium inprimis (ad Min. ed. Bauer. I. 13. p. 104. 107.) sequitur, ellipsium ditionem finibus immane quantum proferendis augens. Neque aberat ab hac ratione Hermannus de Em. R. Gr. Gr. p. 207.; discedens tamen ab ea ad Vig. p. 906. Concidit autem iam ea de causa Tiburtii ratio, quod, quae inter utrumque modum pro sententia cogitantis exprimenda et oppositio intercedit et necessitas, nusquam respicitur. Redarguunt praeterea, ne in re minimi momenti moremur, ipsi, quos explicandos sumsimus, loci conditionales.

Nam cum sint genera eorum, in quibus et causa efficiens (conditio) et consequentia modo coniunctivo includatur, quid faciendum tali exemplo erit:

Caesar si hostes rebellasse sciret, ferias agere desineret.

Quorsum spectare, unde pendere dicemus duplicem coniunctivum? Alterum ab altero? Profecto, etsi uterque a natura verbi finiti aliquantum discedat. Sed quid tunc aliis conditionalium dictorum generibus fiet, in quibus utrumque membrum indicativo comprehenditur; velut

Caesar si hostes rebellasse sciet, ferias agere desinet.

Nam in hoc quoque verbum alterum ab altero pendere dicemus, et tamen indicativi sunt. Eandem plane argumentandi viam inisse Gernhardum in comm. de usu coniunctivi l. c. p. 526. not. 3. non sine gaudio quodam animadvertimus. Omnino autem coniunctivi latini natura et indoles illa finitione, quam probandam ducimus, optime exprimitur. Una est, in qua videtur laborari, difficultas, ne a Gernhardo quidem sublata. Inest ea in explicanda particula *ut*; de qua, quae explorata habemus, alio loco nos propositiuros esse speramus.

Alii aliter errarunt, coniunctivos semper et ubique a particulis pendere existimantes. Et est subinde aliquid harum usui indulgendum: at in universum consentiunt, qui hodie aliquid in his litteris sapiunt, modos, cum formae cogitandi sint, priores esse particulis, quae his formis externo quodam signo exprimendis inserviant.

Tenemus igitur, quod posuimus, indicativo res per se notari, coniunctivo autem, res ex mente cogitantis vel agentis spectatam. Nam et incertitudo, quae est in mente loquentis, cum opinamur, coniunctivo exprimitur, quando Graeci optativo suo potentiali utuntur: ut si dicimus: hoc nemo pro vero facile habeat s. habuerit; *τοῦτ᾽ ἂν οὐδεὶς ἀληθὲς εἶναι νομίζοι*. At ubi et dicentis et in actione implicati sententia adest, dubitari nequit, quin illa indicativo, haec coniunctivo enuncianda sit. Illa enim rem factam ponit, neque se agendis rebus immiscet, neque unius hominis, qui dicit, sed omnium,

qui extra contentionem positi, acta intuentur, illius ore loquentium videtur. Velut si Cicero in Bruto c. 2. dicit: Etenim si viveret Q. Hortensius, hunc — sustineret dolorem, cum forum P. R. quod *fuisset* quasi theatrum illius ingenii, — spoliatum atque orbatum videret. *Fuisset* ex Hortensii mente doloris causam reddentis, expressum: Cicero dicturus erat *fuerat*; sic enim omnes forum intuentes loquerentur, etsi causam doloris non haberent. — Ceterum omnem modorum rationem perquirere et exponere neque huius loci est, et ab aliis satis factum videmus; illa notavimus, quia opus erat. In modis per conditionale dicendi genus componendis etsi in universum *paritas* observatur: tamen quomodo ab hac regula iure quodam descisci possit, alio loco explicabimus.

Etiam temporum significationes in hac disputatione negligi non possunt. Sequimur vero eam ordinationem, quam primus Hermannus in libro de emendanda ratione Gramm. Gr. p. 280. sqq. posuit: acuta quidem, sed neque veriora, neque ad usum accommodatiora existimantes, quae post a Dissenio, Wagnero, aliis contra disputata sunt. Sed est temporum in enunciatis componendarum ratio duplex; altera, secundum quam dicti secundarii tempus a primario suspenditur, altera, qua non suspenditur. De qua re summatim cum dixerimus in adnotatione ad Brutum Ciceronianum c. 9, 35., ita tamen ut circumstantialia dicta sola respiceremus, et inprimis, quo discrimine praesentia et praeterita, quo imperfecta vel plusquamperfecta praegressis praeteritis qualibuscunque socientur, illa quidem tota

repetere non placet, sed breviter contracta ab altera parte adaucta in usus praesentes convertere. Nam enunciati secundarii *primum* talis esse indoles potest, ut *tempus per se*, sive absolutum nullum indicet, sed ad sententiam s. actionem principalem quasi adverbialiter dictum ita referatur, ut vel *ante hanc*, vel *cum hac*, vel *post hanc* dicatur fieri. Haec est relativorum q. d. temporum ditio, per se neque praeteritum quidquam, neque praesens, neque futurum ponentium, sed tantum cum praesenti praesens esse, cum praeterito, cum futuro, aut ante actionem narratam factum, aut post eventurum. Quod si igitur *una* cum actione principali praesenti vel futura aliquid fieri dicitur, praesenti vel futuro tempori praesentia addimus; ut in hoc exemplo: *Res tales profero* (vel *proferam*) *ut nemo repugnare audeat.* In enunciatis autem conditionalibus vel temporalibus futurum rursus cum futuro sociatur; ut in hoc: *testes proferam, si aderunt* vel *cum aderunt.* Praeteritis vero qualibuscunque imperfecta adiungenda; ut in hoc: *res tales proferebam* (*s. protuli s. protuleram*) *ut nemo repugnare auderet.* Si *ante* actionem principalem tempore secundaria praecesserit, in quo genere praesens excluditur, praeteritum qualecunque plusquamperfecto, futurum futuro altero, quod *exactum* dicunt, iungi postulat. Velut haec exempla sunt: *Didici rem, cum s. quod litteras tuas acceperam: discam plura, si alias accepero novas.* Per occasionem oblatam notamus, inprimis apud Livium aliosque historicos plusquamperfectum saepe cum aoristo praeteriti commutari solere, re etiam Graecis usitatissima: ut v. c. di-

catur: *didici, cum epistolas accepi*, non *acceperam.* — Tertium est, ut secundaria actio, cum primaria evenit, adhuc exspectetur. Hoc loco praesens rursum excluditur, ut quod soli praesenti relative iungi possit. Praeterita cum futuris circumscriptis imperfecto verbi substantivi, futura cum eiusdem verbi futuro iunguntur; quod per se rarum est, ad hunc modum: *Scribebam, cum litteras tuas accepturus eram: scribam, cum alias accepturus ero.* Huic relativo secundariae actionis a primaria suspendendae generi, ut ex ipsis exemplis a nobis datis liquet, etiam in conditionalibus dictis locus est. Sed est altera dictorum secundariorum ratio, ut per se tempus indicent, qua facta esse cogitantur: scilicet, ut ad illud, quo loquimur, relata, vel adhuc fieri, vel iam praeterisse, vel futura esse, nec dum fieri dicantur. Quod si est, nihil refert, quodnam tempus sit principalis sententiae; secundaria autem secundum hanc, quam modo posuimus, differentiam, vel praesente absoluto, vel praeterito absoluto (quod perfectum vocant) vel futuro absoluto, quod circumscribendo fit, comprehendetur. Velut hoc exemplo fit: *Caesar Gallos vicit, ut non rebellaverint* (nunquam postea, et ne nunc quidem); *ut non rebellent,* (nunc, cum loquor); *ut non sint rebellaturi* (non verisimile sit, rebellionem instare.) —

Tam facilibus, tam patentibus intellectui praeceptis tota illa de consecutione, quam dicunt, temporum doctrina nititur, si modo, quod rei caput est, a iusta temporum ipsorum notione progrediaris. Innumera, quibus comprobatur, Veterum loca non dedimus, ut in similibus praesertim rebus, quam

maxime fieri posset, iisdem exemplis uteremur paulum immutatis. Sed ad rem pergimus.

§. 2.

Dictis conditionalibus eventus quidam a causa praegressa vel una incidente ita suspenditur, ut, nisi illa fuerit, ne hic quidem existere possit. Hac finitione ita posita, genera quaedam dicendi, conditionalium speciem prae se ferentia, alio loco secundum naturam suam diiudicabimus. Priusquam ad illam muneris nostri partem adgrediamur, de eo disputandum est, quod putant quidam, conditionalia ita componi, ut enunciatum alterum alterius quasi ditioni subdatur, quod genus nos dicimus *subordinirte Sätze.* Sed secus est. In enunciatis enim subiunctionis lege compositis alterum plenum, suis numeris absolutum integrum sensum exhibet: alterum non plenum, ab illo suspensum, non semper intellectui per se patens, neque sui iuris est. Ut si dicimus: *Caesar Rhenum transiit, ut Germanos adoriretur,* hoc additum, de adoriendis Germanis, non est suae potestatis, neque sic nude poni vel intelligi potest, totum quippe ab altero suspensum, quod perfectam et per se absolutam sententiam continet. Eadem res est in adhibendis particulis ne, quo, quin, quominus, et cum causali. Sed in periodo conditionali quamquam alterum enunciatum, particulam (si, nisi) in fronte gerens, alteri subditum videatur, subiunctique speciem prae se ferat, tamen hoc ipsum causam continet, cur illa principalis sententia existat. Ita haec principalis ab illa secundaria omnino ita pendet, ut sine

ea cogitari non possit. Nam si dicimus: Si est deus, animum humanum immortalem esse oportet, non statim dicimus, immortalem esse, sed nonnisi illo concesso probari debere. Qua de re dicta conditionalia ea quidem ratione componi, quae subiunctionis speciem habeat, sed revera inter hanc et illam compositionem, quae paritatis legem observat (Coordination) medium quasi locum tenere existimamus.

Genera conditionalium dictorum in universum quatuor sunt, discreta illa primum ab Hermanno; siquidem pauca nec multum discrepantia post de iis locis notabimus, quae extra illum ordinem vagari videbuntur. Prima classis ea dicta complectitur, in quibus *certis* quibusdam positis, *certus* sequitur eventus. Nec tamen, quae est conditionalis sententiae indoles, affirmatur, aliquid re vera esse, vel non esse, sed fieri, ut sit, si modo sit alterum, ex quo sequatur. Haec est igitur, ut uno vocabulo, quamvis minus probato, utamur, *possibilitas, incertitudinis notione nulla addita.* (Möglichkeit ohne Ungewifsheit. V. Herm. ad Vig. not. 312. cf. Buttm. Gr. Gr. p. 397. ed. noviss.) Nam si dicimus: *Si hoc verum est, me errasse confiteor,* neque concedimus, neque negamus errorem; sed omnem suspendimus a dicti causalis s. conditionalis veritate; abest tamen incertitudinis vel opinandi vel fluctuandi omnis nota. Hoc genus cum per omnia tempora definitae actionis vagari possit, tot copulationes temporum, quot eorum numerus patitur, existunt. Omnes autem, quod sciam, linguae indicativo utuntur in eiusmodi sententia exprimenda. Si quis autem

tem definitionem modi indicativi supra positam acrius urgebit, aliter dici apte non potuisse, diligentius inspectanti patebit, cum et coniunctivus Latinus et Graecorum modus relativus uterque ad alios usus accommodatiores viderentur, et quidem in hoc ipso conditionalium dictorum genere. Cf. Krueger l. c. p. 87.

1. Praesens igitur et conditionis et consequentiae iure ponitur, ubi utraque vel in breve illud et mensurae expers incidit temporis momentum, quo loquimur, vel indefinito spatio includitur, quoquo tempore fiat praesens eiusdem rei iteratio ac repetitio. cf. Herm. de Em. R. Gr. Gr. p. 195. sqq. — V. Cic. p. Arch. 1, 1. Si quid est in me ingenii iudices, — — earum rerum Archias fructum a me repetere debet. — Nam et debere repeti fructum, et esse sibi ingenium, hoc, quo loquitur, tempore, affirmatur. Cf. Fin. IV. 13, 35., ubi non opus erat a Goerenzio notari, indicativum asseveranter poni. Pluribus exemplis res tam manifesta non eget.

2. Praesens autem consequentiae cum perfecto causae s. conditionis componitur, siquidem haec eo, quo quis loquitur, tempore praeterlapsa erat. Cic. Acad. II. 20, 65. Ego enim si ad hanc potissimum me philosophiam applicavi — non modo stultitiam meam, sed etiam mores et naturam condemnandam puto. Acad. II. 2, 6. Etenim, si — vere est a nobis philosophia laudata, profecto eius tractatio optimo — quoque dignissima est. Cf. 5, 15. 7, 19. de Or. II. 90, 367. III. 50, 196. et sexcenties. At de N. D. I. 35, 98. perperam Heindorfius scripsit *suscepimus*, cum nondum susceptum esset negotium.

Graecorum inter multa exempla haec sufficiant. Antiphon p. 33, 2. Bekk. quam editionem in Oratt. et Platone semper excitabimus: ἐγὼ μὲν, εἰ μέν τι ψεῦδος εἴρηκα, ὁμολογῶ καὶ τὰ ὀρθῶς εἰρημένα προςδιαβάλλειν ἄδικα εἶναι; cf. ib. 4. Aeschines de fals. leg. p. 315, 5. εἰ γάρ τις — πέπεισται — ὡς ἐγὼ τοιοῦτόν τι διαπέπραγμαι — ἀβίωτον εἶναί μοι τὸν λοιπὸν βίον νομίζω. Demosth. c. Leocharem p. 330, 25. εἰ μὲν γὰρ ζῶν αὐτὸς ἐποιήσατο — οὐκ ἀντιλέγομεν. Nam aoristus Graecis eodem iure atque praeteritum. Neque suspicari debemus scribendum esse οὐκ ἂν ἀντελέγομεν. Sed potest res ita inversa cogitari, ut conditio et fuerit olim et adhuc maneat, igiturque praesenti tempore efferatur, eventus autem olim momento brevi elapsus sit, hoc modo ut Plato in Apologia Socratis p. 123. εἰ γὰρ δὴ ἔγωγε τῶν νεωτέρων τοὺς μὲν διαφθείρω (nunc adhuc) τοὺς δὲ διέφθαρκα, χρῆν δήπου — αὐτοὺς ἀναβαίνοντας ἐμοῦ κατηγορεῖν. Sive latine: si adolescentium alios corrumpo, alios olim corrupi, ipsos adversus me accusatores prodire par erat.

3. Praeteritum praeterito iungitur, cum utraque res, quo tempore loquimur, absoluta est. Cic. Paradox. IV. 1, 29. Sed si haec nec fecisti, nec facere potuisti, reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exitum calamitosum. Tusc. II. 11, 26. Sed sicubi illi (poetae Latini) defecerunt, verti multa de Graecis. cf. Liv. XXV. 6. Plin. Epp. X. 39. bis. Antiphon p. 38, 6. εἰ μὲν ἀτυχίᾳ τέθνηκεν, τῇ ἑαυτοῦ ἀτυχίᾳ κέχρηται. Non multum differt imperfectum utrimque positum, relatumque ad praeteritam aliquam actionem, ex contextis vel prae-

gressis subaudiendam. Velut Cic. Off. II. 12, 42. id (ius) si ab uno bono et iusto viro consequebantur, eo erant contenti. Sc. tum, cum reges instituti sunt, legesque ortae.

4. Praesens conditionis futurum sequens habebit, cum iam fit illud, hoc vero exspectatur. Cic. Legg. I. 4, 13. Nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, — suscipiam. 14, 40. Quae si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis? Cf. Acad. II. 2, 6. Hoc loco infeliciter, quamquam non prorsus improbante Goerenzio, Durandus *removemus* coniecit. ib. 29, 43. ubi ed. Ven. a 1495. et Cratandr. *caveatis* exhibent, pro vulgata *cavetis*, quae verior. *Caveritis* conici posse ait Goerenzius, sed profecto non opus est. Adde Off. I. 41, 146. ib. 148. de Or. I. 15, 64. 26, 118. II. 45, 189. Plato similiter Phaedro p. 8. *αἷς εἴ τις ἀπιστῶν προσβιβᾷ — πολλῆς αὐτῷ σχολῆς δεήσει.* Isocr. Nicocl. 30, 9. *εἰ δεῖ συλλήβδην περὶ τῆς δυνάμεως ταύτης εἰπεῖν, οὐδὲν — εὑρήσομεν ἀλόγως γιγνόμενον.* Lysias Epitaph. 177, 22. *ὡς εἰ μὲν πρότερον ἐπ' ἄλλην πόλιν ἴασιν, ἐκείνοις καὶ Ἀθηναίοις πολεμήσουσι.* Nec refert, num imperativo in apodosi utamur. Velut Andocides de Myst. p. 87, 7. *εἰ δέ τις ὑμῶν ποθεῖ ἢ νομίζει — ἀναστὰς ὑπομνησάτω.* de Pace 145, 40. *τοῦτο δὲ εἴ τις προσθεῖναι βούλεται, πείσας ὑμᾶς προσγραψάτω.* ut aliis multis locis supersedeam. Potest etiam conditio indefinito tempori futuro assignari, consequentia autem de infinito tempore universo h. e. aoristo praesentis accipi, ut et hoc et futuro tempore valeat. Ut Cic. de Fin. I. 2, 6. Nam si dicent, ab illis has res esse tractatas, ne ipsos quidem Graecos

est cur legant. — Hoc est, neque nunc est, neque erit, dum conditio illa valebit. Sed Academ. II. 41, 127. Si veri aliquid occurret, — humanissima completur animus voluptate. Hoc loco recte Wopkens. ex uno Ms. *occurrit* praetulerat. Contra Goerenzius inutili doctrina ostendit, futura saepe hoc modo corrumpi a librariis, ut Ac. I. 2, 5. 7, 26. II. 14, 44. Caton. M. 11, 38. qui loci partim eiusmodi sunt, ut utrique tempori sua potestas esset, ultimus vero is, in quo vix insano de praesente dedita opera ponendo in mentem venire possit. Quid igitur talia comparando proficitur? Comparari rectius poterant de ND. III. 1, 4. ad Diverss. VI. 2. In epp. ad Q. Fr. 1, 1. v. f. sine haesitatione vel *fit*, vel *fiat* legendum dicam. Nam neque hoc, neque illo, quem primum tractabamus, Academicorum loco futurum ferri per sensum potest. Desideratur praesens *ἀόριστον* repetitae actionis, *si* pro *quotiescunque* posito. Lubricum utique negotium est, hos et horum similes locos iudicare, cum vix fiat, ut non unus saltem vel alter Codex Ms. corrigentibus vel prava retinentibus faveat. Sic sane durum est illud Ciceronis de Or. II. 81, 330. *exit* autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum, si non interrupta narrabitur. Paene coniecerim *erit*; nam etiam hic *si* est pro *quandocunque*, repetitam actionem significans. At bene ferri potest de Or. II. 45, 189. Neque fieri potest ut doleat is, qui audiet, nisi omnes ii motus, — in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur. Pariter Plinius Epp. II. 10. f. nisi aeque longam epistolam reddes, non est quod — exspectes. Adde eiusdem

scriptoris II. 14, 7. Quintiliani VII. 2, 35. XII. 1, 11. III. 3, 12. et Ciceronis nostri Off. II. 24, 48. III. 5, 21. Et ad amussim Graeca exempla congruunt Lysiae c. Agorat. p. 282, 93. *εἰ γὰρ ἀποψηφιεῖσθε Ἀγοράτου, οὐ μόνον τοῦτο διαπράττεσθε, ἀλλὰ καὶ ἐκείνων καταψηφίζεσθε.* Postremo loco futurum reperit Bekk. in cod. ς. p. Invalido p. 346, 13. *εἰ τοῦτο πείσει τινὰς ὑμῶν, — τί με κωλύει κληροῦσθαι τῶν ἐννέα ἀρχόντων.* Demosth. Olynth. I. p. 13, 15. *εἰ τοῦτο γενήσεται, δέδοικα μὴ — πολλὰ καὶ χαλεπὰ — εἰς ἀνάγκην ἔλθωμεν ποιεῖν, καὶ κινδυνεύωμεν περὶ τῶν ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ.*

5. Praeteritum deinde futuro iungitur, cum causa praeteriit, cum loquimur, eventus adhuc exspectatur. Velut Cicero p. Flacco c. 12. quodsi etiam praesidii causam habuit, quis erit tam iniquus qui reprehendat. seqq. Idem, ac si dicatur, *nemo reprehendet.* Sive Demosth. c. Aristogit. II. p. 101, 19. *εἰ δ' οὖν τινὶ τοῦτ' ἐν ἡδονῇ συμβέβηκεν, οὐκ ἀπορήσετε τῶν τοιαῦτα ποιησόντων.* Inversam rationem vix, certe nonnisi per abusum veterum linguarum auctoribus subrepsisse crediderim.

6. Denique futura cum futuris licebit componi. Est autem structura non alia futuri absoluti, quod circumscriptione fit, et relativi s. aoristici, quod vulgo primum vel simplex vocant. Sensus autem paulum differt, utrum dicam: *si patri maledicturus es, quid faciam videbo;* an, *si patri maledices.* Illud significat, in eo esse, ut maledicat, sed nondum maledixisse, necdum maledicere; hoc rem incerto tempori futuro assignat, quando facturus sit, non addit, modo constet, facturum olim esse. Erunt

igitur duo futura conditionalia, ubi tum causa, tum eventus in tempus illud, quod exspectatur, reiicientur. V. Cic. Acad. II. 18, 58. Veri etiam cognitio tolletur, si nihil erit, quod intersit. cf. 21, 67. Legg. I. 15, 42. 19, 51. III. 8, 19. Fin. I. 6, 20. 8, 28 vf. ubi cum codd. E. ξ. et Gud. 2. *probaveris* exhibeant, vulgatum *probabis* ex contracta futuri secundi forma factum male Goerenzius existimat. Nam innumera exempla obstant, quibus et hoc dicendi genus probatur, ut Off. I. 7, 21. 28, 100. 36, 131. 38, 136. II. 11, 39. 18, 62. III. 4, 19. 6, 26. 23, 90. bis; 33, 120. Caton. M. 2, 6. 7, 20. 19, 66. Paradox. IV. extr. de Or. I. 3, 11. 6, 20. 10, 44. 21, 98. II. 6, 24. 8, 32. 20, 85. ter; 23, 95. 33, 144. 38, 159. III. 21, 79. 43, 172. Acad. I. 7, 25. II. 8, 24. 11, 34. 35. 36. 14, 44. 21, 67. 29, 94. 31, 99. 36, 117. (ibi futur. absolutum in protasi) Tuscul. II. 7, 17. 24, 57. 26, 63. 27, 66. III. 19, 42. Livius XXIV. 16. Plin. Epp. I. 5, 5. ubi futur. absol. in protasi. VI. 21, 2. Cic. Diverss. VI. 3. Att. III. 20. XIII. 22. Haec pauca et ex paucis libris, cum sit immensa exemplorum copia. At de Fin. II. 32, 105. ante Lambinum *obruerentur* lectum est. Quod is vir, nativo elegantiae sensu, quo pollebat, ex coniectura reposuit, *obruentur*, post a Davisio in Codd. repertum est. Goerenzio autem ad Legg. II. 18, 45. concedamus quidem, futurum simplex conditionale saepe exacto a librariis inducto vitiatum esse, sed si eandem esse utriusque vim putat, facile redarguitur. Addimus, imperativum et pro eo positum coniunctivum, eodem iure in apodosi uti, ac futurum. Velut Cic. Off. II. 20, 71. Quod si etiam bo-

nus erit vir, ne impediant divitiae, quominus adiuvetur. Caton. M. 1, 3. Qui si eruditius videbitur disputare — attribuito Graecis litteris. 22, 79. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. de Or. I. 48, 208. quae si vobis — non probabuntur, vestram iniquitatem accusatote. Tuscul. I. 45, 109. Quare, si ipsa ratio minus perficiet, ut mortem negligere possimus, at vita acta perficiat, ut satis superque vixisse videamur. Plin. Epp. V. 16, 10. Proinde si quas ad eum — litteras mittes, memento adhibere solatium. sqq. Et totum hoc genus, et illud quod de imperativis modo demonstravimus, cum etiam Graecis longe frequentissimum sit, et prorsus distet ab usu particulae ἐάν cum coniunctivo, (quo modo Graeci latinum futurum exactum protaseos exprimere solent) sane mirari subit, virum Graece peritissimum, Augustum Matthiae haec omnia in exceptis ab regula posuisse, Gr. Mai. p. 745. cuius rei error iam brevi illa Hermanni nota ad Vigerum num. 312. coarguitur. Vide igitur, si tanti est, Graecos testes Lysiam in Funebri oratione p. 180, 33. *εἰδότες δ' ὅτι, εἰ μὲν κατὰ γῆν τοῖς βαρβάροις ἀπαντήσονται, ἐπιπλεύσαντες — ἐρήμην τὴν πόλιν λήψονται.* c. Eratosth. 250, 70. *εὖ εἰδώς, ὅτι, εἰ μὴ πασῶν τῶν ἐλπίδων ἀποστερηθήσεσθε, ταχεῖαν παρ' αὐτοῦ τὴν τιμωρίαν κομιεῖσθε.* it. p. 260, 90. *εἰ — καταψηφιεῖσθε, ὀφθήσεσθε.* p. Invalido p. 343, 3. *εἰ γὰρ ἐξ ἴσου τῇ συμφορᾷ καὶ τὴν διάνοιαν ἕξω, καὶ τὸν βίον διάξω, τί τούτῳ διοίσω.* c. Epicratem 363, 1. *εἰ μὴ καταψηφιεῖσθε, ὧν αὐτοὶ κελεύουσιν, ὑπολείψει ὑμᾶς ἡ μισθοφορά.* cf. ib. 364, 7. ubi illud quoque *ἐὰν τιμήσητε,* quod sequitur animadver-

sione dignum, nam etiam in Latinis sic futura exacta conditionum post prima eiusdem usus sequi, infra indicabitur. Isocrates de Pace p. 181, 17. (οἶδ᾽) ὅτι δόξω τὴν πόλιν ἐλαττοῦν, εἰ Θηβαῖοι μὲν ἕξουσι Θεσπιὰς καὶ Πλαταιάς sqq. Isaeus de Dicaeog. her. p. 64, 3. εἰ οὖν ταῦτ᾽ ἐρεῖ, ψεύσεται, καὶ ῥᾳδίως ἐλεγχθήσεται. Aeschines de falsa legatione p. 341, 80. εἰ δ᾽ ἔσονται τῶν πολέμων αἱ εὐθύναι τῶν πρέσβεων — ἀσπόνδους καὶ ἀκηρύκτους τοὺς πολέμους ποιήσετε. Demosth. II. 23, 20. εἰ δέ τι πταίσει, τότ᾽ ἀκριβῶς αὐτοῦ ταῦτ᾽ ἐξετασθήσεται. Vulgo πταίσειε, quod et ipsum retineri poterat. Melius tamen illud, quod ex tribus codd. Bekkerus dedit. Plato Cratyl. p. 67. p. m. εἰ δ᾽ αὖ τις ἐάσει καὶ ἐντιθέναι καὶ ἐξαιρεῖν ἅττ᾽ ἂν βούληταί τις εἰς τὰ ὀνόματα, πολλὴ εὐπορία ἔσται, καὶ πᾶν ἂν παντί τις ὀνόματι προςαρμόσειεν. Apodosis etiam ob modum variantem notabilis. Antiphon p. 18, 8. εἰ δέ τις τὰ εἰκότα ἀλήθεσιν ἴσα ἡγεῖται — ταὐτὸν ἀντιλογισάσθω. Et, ut omnino in oratione artificiosius struenda tragici a prosariae orationis diligentia non desciverunt, etiam Aeschylus dixit in Choephoris v. 678.:

εἴτ᾽ οὖν κομίζειν δόξα νικήσει φίλων,
εἴτ᾽ οὖν μέτοικον —
θάπτειν, ἐφετμὰς τάςδε πόρθμευσον πάλιν.

§. 3.

Primum conditionalis dictionis genus cum id esse posuerimus, quod certis quibusdam causis nisum ad effectum spectaret, incertitudinis nota non admissa: iam sequitur *alterum*, quo conceditur quidem, fieri aliquid causis praegressis, sed prorsus

ambiguum relinquitur, utrum eventura illae sint, necne. Hoc est genus illud quod Graeci optativis suis, additis in protasi *εἰ*, in apodosi *ἄν*, exprimere solent, *εἰ τοῦτο λέγοις, ἁμαρτάνοις ἄν*, quando non sumitur, dici illud ab altero, sed incertum manet. Hoc autem dicendi genus admodum simplex sit, nulloque fere modo variari possit, necesse est. Nam quod plane caret omni certitudinis vel probabilitatis nota, id etiam finito tempore caret. Igitur ne optativi quidem illi Graeci, praesentium et aoristorum, quos hic in usu esse constat, quamvis paulum mutare videantur sententiam, tempus ullum definitum designant. Latinis praesens coniunctivi in hoc genere solum legitimum est, quod quidem ad conditiones enunciandas spectat; nam consequentia s. eventus pari iure, exiguo discrimine praeterito coniunctivi uti nos patitur. Praesentia haec non erunt absoluta: nam non dicimus, eo quo loquamur, temporis momento fieri, quod dicatur; sed eventus *ἀορίστως* enunciatur, praecedens causa ad illum praesente, q. d. relativo adiungitur. Si de re olim facta vel facienda cum dubitatione per conditionale dicendi genus disserendum est, hoc Latine non nisi per indicativum modum addito incertitudinis vocabulo, ut sunt *fortasse* vel *forte*, potest fieri. Latini igitur Platonis illud in Alcib. I. 14. *σὺ δ' εἰ τύχοις ἀγνοῶν, εἴτε ἀδικοῖτό, εἴτε μή, τότε λέγοις ἄν, τί σε χρὴ ποιεῖν*, sic verterent: si forte ignores utrum aliquis afficiatur iniuria, necne, tum dicas, quid tibi faciendum sit. Sic recte illud Ciceronis de Fin. IV. 12, 31. quis non iure optimo rideatur si laboret, sic vertimus: *τίς γὰρ οὐκ ὀρθῶς ἂν γελῷτο,*

εἰ διανοοῖτο sqq. Verum exempla alio loco dabimus. Nunc cum Kruegero (l. c. p. 101. et alibi) nobis controversia est, qui in alia omnia discedens, hoc conditionalium dictorum genus duobus praesentibus exprimi prorsus ignorans, optativos Graecos nonnisi imperfectis Latinis reddi pronunciat. Et certum quidem est, *temporis* imperfecti (hoc est eius, quod esse aliquid et manere simul cum actione praeterita significat) in coniunctivo conditioni adhibito, ne vestigium quidem exstare; spectare si sensum volueris, nil nisi praesens videtur. Nam si quis dicit: hoc si verum esset, me victum faterer, hoc ait, se nunc potissimum, quo tempore dicat, victum non videri. At non potest concedi, sic dicentes prorsus incertum relinquere, verumne sit, necne; imo cum Hermanno in hac re firmiter insistimus, ut incertitudo praesenti, conditionali ratione posito relinquatur, imperfectum autem et plusquamperfectum notionem eam secum ferat: rem non esse talem, qualis ponatur, sed si esset, hunc eventum fore. Nam quod, cum causae suae paulum diffidere coepisset, addit Kruegerus p. 106. verum quidem esse, optativos Graecos coniunctivis praesentis Latini reddi posse, id vero tum demum fieri, ubi non adversetur sententia, nec differat, num res tanquam incertas, an tanquam verisimilitudine carentes consideremus: hoc, inquam, tum in nostram potius causam rectius converti posse videtur, tum vero sibi plane repugnat. Nam quid tam contrarium sibi, quam ut res incerta, fierine possit, necne, eadem fieri non posse dicatur? Exempla, quale illud ex Tacito Annal. XIV. 1. a Rams-

hornio p. 586. allatum, hanc observationem non evertunt. Argumenta autem praeter exemplorum ingentem multitudinem, nostrae sententiae plura favent. Primum non potest intelligi, cur imperfecta apodoseos nudae instar, sine protasi conditionali posita, lege conditionalium dictorum, qualem esse vult Kruegerus, exemta sint. (Kr. p. 108. cf. p. 114.) Concedit ille, non esse idem *dicam* vel *dixerim*, *φαίην ἄν*, et *dicerem*, *ἔφην ἄν*; *βουλοίμην ἄν* Latine non posse reddi *vellem*, sed *velim*. Sed potest fieri, ut conditionalis sententia vel reticeatur, vel addatur quidem, sed non solito more cum consequenti re iuncta. Exemplum ponamus. *Hostes non advenerunt. Diceret aliquis, pugna victos. At id incredibile est, adsunt enim fugitivi nostri.* Hoc idem est, ac si quis haec ita iungeret: *Si quis pugna victos hostes diceret, incredibile id esset*; et statim videmus sententiam negantem: *Nemo dicit, nam incredibile esset, si fieret.* Sed si poneremus, *dicat aliquis*, illud quod sequitur, *incredibile est*, addi non posset, quoniam res incerta nondum prorsus indigna est, cui fides habeatur. Deinde, quod alterum argumentum est, parum probabiliter plusquamperfecta seiungerentur a causa imperfectorum, cum natura sua maxime affinia sint. Illa enim ne Kruegero quidem repugnante, conditionalia temporis praeteriti sunt, addito sensu, non esse rem, qualis ponatur. *Si hostes vicissent, heri aggressi urbem essent*: at non sunt aggressi, quia non vicerunt. Affine huic tertium argumentum ex iis locis ducitur, quibus, quia conditioni, cum loquimur, iam absolutae, eventus eo ipso tempore durans adiun-

gitur, plusquamperfectum cum imperfecto consociandum est. Ut cum dicit Cicero ad Diverss. I. 10. *Tibi notior meus in te animus esset, si Romae fuissemus.* Nunc etiam, inquit, esset, si olim fuissemus; at non satis notus est, quia non fuimus. Num tantum valere dicemus plusquamperfectum ut imperfecto sic addito quasi partem suae significationis attribuat? Nonne longe verisimilius, in tanta praesertim similium exemplorum copia, hoc ex peculiari imperfectorum notione fieri? Longe firmissimum vero nostrae sententiae argumentum in eo nititur, quod eiusmodi dicta, rem fieri non posse vel incredibilem esse significantia, in tota Latinitate nusquam cum illis confunduntur et commiscentur, quae secundo ordini vindicamus, incertitudinemque notare diximus. Prima enim et secunda, prima item et tertia conditionalium classis quodammodo miscentur. Illud fit, cum sic v. c. dicimus: *si deus est, animus hominis immortalis sit,* sive graece: *εἰ θεός ἐστι, εἴη ἂν καὶ ἡ ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατος;* tum apodosis paulo incertius profertur, quod quomodo fiat, alius loci est explicare. Hoc vero fieri animadvertimus in huius generis dictis: *castra hostes oppugnabant, nisi tertia legio subsidio missa esset.* Sic interdum loquentes Latini ad Graecum morem inclinarunt, ea, quae fieri non posse cogitantur, tanquam non facta, indicativo signantium. Hoc modo igitur, quae aliquo modo cognata sunt, misceri etiam videmus; quanto magis praesentium et imperfectorum coniunctivos commutari oportebat, siquidem eorum tanta cognatio est, quantam Kruegerus putat. — Denique vel leviter inspicienti

exemplaria latina, ingens numerus locorum offertur, quorum plane nullus, qui quidem indubius sit, Graecum optativum patitur, neque coniunctivum praesentis latini pro imperfecto. Et in permultis, quo testatior res sit, contrarium statim vel in sententiae contextis additur. V. Divin. in Caecil. 5. *Si universa provincia loqui posset, hac voce uteretur* sqq. Et hoc quidem loco ipse addit auctor: *quoniam id non poterat.* it. 4. *At enim cur a me — praesidium petiverunt? Si esset dubium, petissent a me praesidium, necne, dicerem, cur petissent* sqq. Quid apertius, quam sententia opposita; *at non est dubium, nec igitur dico.* ad Herenn. IV. 50. *Darem, si mihi molesti non essetis.* — At sunt, nec igitur dat. Cic. de Off. II. 14, 51. *Quod scribere non auderem, nisi idem placeret — Panaetio.* — Sed placet, ergo sentire ipse quoque audet. Alios locos non exscribam, notabo tamen: Div. in Caecil. 6. p. Flacco 11. init. Off. I. 2, 6. 11, 35. II. 8, 29. Caton. M. 6, 19. Parad. IV. 1, 29. 2, 32. de Legg. I. 14, 40. 16, 43. 17, 46. II. 7, 17. Acad. I. 2, 6. II. 3, 7. ib. 9, 7. 22, 9. 27, 20. 65, 31. 99, 34. 110. Fin. I. 7, 25. 13, 42. II. 6, 18. 7, 21. qui locus ex Graecis Epicuri translatus est; 16, 51. 24, 79. 33, 107. III. 2, 4. 5, 16. IV. 11, 27. v. f. 19, 54. 23, 68. Tuscul. I. 24, 56. 25, 60. 41, 98. II. 5, 14. Plin. Epp. I. 22, 7. II. 13. f. 18, 2. VII. 3, 5. VIII. 12, 3. bis. Liv. XXI. 40.

Sententiam oppositam additam, vel plane, vel implicite, reperies de Legg. II. 21, 53. Acad. II. 16, 50. 23, 72. 34, 111. Fin. I. 8, 7. 7, 25. 11, 39. 20, 70. II. 2, 6. 3, 10. 9, 26. (ibi opposita senten-

tia praemissa legitur.) 24, 77. 28, 90. 34, 114. III. 2, 6. Tuscul. I. 5, 9. 11, 23. 44, 107. II. 21, 47. III. 1, 2. Plin. Epp. II. 17. f. Paneg. 18, 4. Liv. XXI. 55. XXII. 39. XXIV. 8, 38. XXVIII. 41. His exemplis millena alia addi licet, cui negotio supersederi aequo animo potest. Addimus aliam non minorem multitudinem eorum, quae ad secundum ordinem proprie pertinent, et respondent Graecis optativis utrinque positis. Cic. Acad. II. 14, 43. quid enim agant, si cum aliquid defenderint, roget eos quispiam sqq. 19, 61. quos si sequamur, iis vinculis simus adstricti. 31, 100. 45, 139. Fin. II. 27, 89. ubi *dum* i. q. *dummodo* s. *modo si*, et scribendum cum Davisio *sit*. III. 1, 1. IV. 12, 31. 14, 38. V. 5, 12. 10, 30. 20, 56. f. bis; de ND. I. 2, 3. ubi Heindorfius affirmat, indicativum a latinitate requiri: quo iure, videant, qui nos hucusque secuti sunt. II. 18, 36. III. 32, 81. 35, 87. de Off. I. 2, 5. et 6. 10, 32. f. 17, 58. ubi Ernestus *sunt* retinet. Fallitur Gernhardus, si coniunctivum requiri dicit; sed concinnior sane est, praebeturque a codd. Graevii et Heusingeri. 31, 111. 40, 144. f. 41, 146. 43, 163. bis; II. 5, 18. f. 9, 38. 19, 75. 23, 90. bis. Caton. M. 7, 21. 23, 83. de Or. I. 2, 7. 9, 38. 41, 186. 58, 250. II. 6, 25. 39, 162. pluries; 77, 313. III. 5, 20. 18, 66. 35, 142. de Legg. II. 20, 51. Tuscul. III. 20, 49. Liv. XXI. 53. XXII. 59. XXV. 38. XXIX. 17. XLV. 38. f. Plin. Epp. I. 9, 2. IV. 24, 5. Cicero de Divin. I. 49. p. Quinctio 21. haec leguntur, *quod si velim confiteri, illud, opinor, concedent, non procuratorem P. Quinctii neminem fuisse* sqq. Aut scribendum *concederent* — et ante

vellem, quod prius ed. Waldarf. firmatur, aut, quod Ernesto placuit, *concedant*. De hoc usu imperff. inprimis *vellem*, *nollem*, *mallem*, quoque modo differant a praesentibus, primus, quod sciam, recte adnotavit Heindorfius ad Cic. de ND. II. 59, 147. — Adde Cic. Att. VIII. 1. Liv. Prooem. §. 3. quo loco illud *in obscuro sit*, et consequens *consoler* profecto non est idem quod *esset* et *consolarer*.

Praeteritum pro praesente in protasi horum dictorum, quod quidem activae formae esset, nullum reperi, videturque a rei natura abesse. In consequentia vero si invenitur, neque offendere, neque primitivam temporis notionem retinere patet. *Non dicam* et *non dixerim* eodem modo differunt, quo Graeca *οὐκ ἂν λέγοιμι* et *οὐκ ἂν λέξαιμι*. Illud enim actionem quasi instantem et cum illo tempore, quo loquimur, proxime copulatam, quae sit quidem, sed et futuro tempore repetatur, significat; hoc vero prorsus infinitum est. Velut *οὐκ ἂν λέξαιμι*, *non nominaverim* paulo urbanius est, quam non nominabo; neque nunc neque ullo tempore fieri videtur, ut nominem. Perrara sunt exempla praeteriti passivi in protasi positi; minus tamen offensae habent, quod a praesente verbi substantivi componuntur. Velut de Or. II. 77, 318. *Cui si initio satisfactum non sit, multa plus sit in reliqua causa laborandum.*

§. 4.

Tertius ordo sequitur, de quo per occasionem iamiam §. praeced. disputatum est, primo et affinis et oppositus. Complectitur ea dicta, quae certis positis, certum quidem futurum eventum fuisse in-

dicant, sed fieri non posse, vel veri absimile esse, ut illa sint, nec igitur eventum habitura esse. Cognatio illa cum primi ordinis dictis ex sententia contraria elucet, quam subaudiri necesse est. Latini cum imperfecto coniunctivi in re infecta, plusquamperfecto in re facta eiusmodi utantur, a temporis utriusque significatione primitiva desciverunt, illud pro praesente, hoc pro praeterito conditionali, addita incredibilitatis vel impossibilitatis nota (utendum talibus in tali re) voluerunt esse. Sed quaeri iure possit, faciantne rectius Graeci, indicativis utentes imperfectorum et aoristorum, et addentes in apodosi *ἄν*, ut rem non factam, factam cogitari significet? Sed ab altera parte non minus recte Latini. Nam ipsum illud, quod rei, quae non sit, essentiam adiudicamus, et ex hac conditione posita ulterius ratiocinamur, non rei per se est, sed ex animo cogitantis consideratae. Ceterum vix dignum videtur notatu, sententiae affirmativae oppositam negativam, negativae affirmantem esse debere. Miror, in his videri dissentire Gernhardum comment. IV. p. 581. cf. p. 586. not. 10.; ut qui dicat coniunctivos etiam imperfecti et plusquamperfecti in conditionibus adhibitos significare id quod fieri quidem possit, sed nunc ad manus non sit. Quod quomodo sentiat Vir Doctissimus, non perspicio.

1. Imperfectis igitur utrimque positis utentes Latinos videmus, cum et causa et eventus eo existebat, quo loquebantur, tempore. Ut Cic. de Legg. I, 3, 8. *Quem* (laborem) *non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus ac liberum.* — Sequitur contraria sententia Attici ore prolata: *Quid? ad*

ad cetera, quae scripsisti plura, quam quisquam e nostris, quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? Alia exempla non addimus; plura insunt in his, quae ante adduximus.

2. Porro plusquamperfecta utrobique usurpata videmus, cum res, quo loquebantur, tempore praeterlapsa erat. Cic. de Fato 27. *An hoc falsum potuisset esse, si esset sexcentis seculis ante dictum?* Huius generis dictis significationem τοῦ ἀδυνάτου inesse concedit Kruegerus p. 114. Exempla eius rei, in qua nulla unquam dissensio fuit, non colligemus.

3. Neque minus frequens est, plusquamperfecta imperfectis sociari. Fieri enim perfacile potest, ut ex conditione olim absoluta, eventus, cum loquimur, permanens oriatur. Cui rationi contrarium est, si conditioni olim inchoatae sed adhuc manenti in incertum usque tempus, consequentia iungitur, uno praeterlapsi temporis momento olim absoluta. Etiam huius generis exempla ex multis pauca ponamus. Cic. ND. II. 3, 7. augures — ne ipsi quidem fabulas *adscivissent*, si res omnino *repudiaret*. — Ponitur conditio ad omne usque tempus valens: nam nunc quoque res non repudiat, adscisci fabulas. Sed olim adscitae sunt, quoniam tunc instituta est disciplina auguralis. Sic Tuscul. IV. 36, 78. quo te modo *accepissem*, nisi *iratus essem*. Nunc quoque est; quod si non esset, iam dudum vapulasset ille. Catil. II. 2. Si — depelli a nobis periculum *iudicarem*, iam pridem Catilinam *sustulissem*. — Hunc locum in ed. sua tetigit V. Cel. Matthiae, ita dictum esse observans, ac sine nexu con-

ditionis: *non sustuli quia iudicabam.* — At vero longe alia est coniunctivi ratio, alia indicativi. Sed significatur, Ciceronem ne tum quidem, cum ad populum dicat, iudicare; opponiturque sententia: non sustuli Catilinam, quia nec iudicavi, nec iudico nunc, sic periculum a vobis depelli. Huius generis aliquot exempla in enallage q. d. plusquamperfecti et imperfecti per errorem illuc relata, tractabimus. Pariter autem Graeci. Plutarchus Apophthegm. Reg. et Imp. p. 155. Hutt. *εἰ τοῦτον συνειδέναι μοι τὸν χιτώνισκον ἐνόμιζον* (crederem) *ἀποδυσάμενος ἂν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πῦρ ἐπέθηκα.* (in ignem dudum coniecissem.) Antiphon Orator p. 19, 13. *εἰ δὲ ὑπὸ ζῶντος ἐδιωκόμην, — ἀπέδειξα ἂν ἀδικοῦντα.* Plato Theaeteto p. 200. m. *Οὐκοῦν εἰ μὲν — μέγα ἢ λευκὸν ἢ θερμὸν ἦν, οὐκ ἄν ποτε ἄλλῳ τῳ προςπεσὸν ἄλλο ἂν ἐγεγόνει.* Nam tralaticium est, plusquamperfecta et aoristos in hoc conditionum genere fere idem valere; et probat idem hic ipse locus. Sequitur enim alterum dictum conditionale in quo est *ἐγένετο.* Antiphon p. 57, 52. *εἰ τι συνῄδειν ἐμαυτῷ, καὶ εἴτι ἐμοὶ τοιοῦτον εἴργαστο, ἠφάνισ' ἂν τὼ ἀνθρώπω.* Duplex conditio, altera durans, absoluta altera. Cf. Matthiae Gr. Gr. Mai. p. 712. 13. Contrariae formae, quae magis vacua est ab errore interpretantium, haec exempla sunt. Cicero ad Div. I. 10. tibi notior meus in te animus esset, si Romae fuissemus, ad Att. 12, 1. Marcelli nisi gladium Caesaris timuissent, manerent. h. e. nunc adhuc Romae essent. — Quid plura ponam, catervatim obvia legentibus. At Graecis hoc imprimis frequentatum est. Demosth. de Cor. p. 202, 9. *εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον*

κατηγόρησεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ αὐτοῦ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἂν ἀπελογούμην. Isocrates Philipp. 103, 56. *Λοιπὸν δ' ἂν ἦν ἡμῖν ἔτι περὶ τῆς πόλεως διαλεχθῆναι εἰ μὴ — εἰρήνην ἐπεποίητο.* Panath. 279, 85. *ἐγὼ δ' εἰ μὲν ἔλαθον ἐμαυτὸν πλεονάζων, ᾐσχυνόμην ἄν, εἰ — οὕτως ἀναισθήτως διεκείμην.* locus etiam propter duplicem apodosin memorabilis. Plato Cratyl. 4. m. *εἰ μὲν ἐγὼ ἤδη ἀκηκόη παρὰ Προδίκου τὴν πεντηκοντάδραχμον ἐπίδειξιν, οὐδὲν ἂν ἐκώλυέ σε — εἰδέναι.* Antiphon p. 8, 11. *εἰ οὗτοι ἠθέλησαν τὰ ἀνδράποδα παραδοῦναι, ἐγὼ δὲ μὴ ἠθέλησα παραλαβεῖν, αὐτὰ ἂν — παρείχοντο.* Verum otiosum est, plura addere; iam haec nimia fuerunt. Conferri tamen potest Kruegerus p. 115. l. c. Notamus adhuc, nonnulla, etsi perrara exempla ex hoc conditionalium ordine reperiri, rem futuram significantia; in quibus cum coniugatione periphrastica opus sit, eodem iure censenda sunt, ac verbi substantivi unde componuntur, formae. Ut Tac. Hist. II. 77. Absurdum fuerit, non cedere imperio ei, quem adoptaturus essem, si ipse imperarem. — At non imperat, ergo nec est adoptaturus.

4. Accedimus ad tritum illum et multorum observationibus magis obscuratum quam illustratum locum de plusquamperfecto et imperfecto conditionali commutato, quod genus loquendi horum temporum *ἐναλλαγήν* vocari solent. Nulla fortasse artis grammaticae pars est, in qua plurimi Eruditi tam temere senserint, tam mire turbaverint omnia et miscuerint. Iam illud nonnullos admonere potuisset, aliud esse in enunciatis simplicibus imperfectum plusquamperfecti loco positum, aliud in conditio-

nalibus; aliud deinde in his imperfecta utrobique pro plusquamperfectis posita (nam quod oppositum genus est, id nusquam reperitur), aliud rursum si alterutro loco factum reperiatur. Egerunt de hac enallage Perizonius ad Sanct. p. 119. ed. Bauer. et ipse Bauerus p. 124. Gortius ad Sallust. Iug. 59. Heusingerus in praef. ad Cic. Off. p. LVI. et LXI. et ad III. 19, 2. eius patruus ad Cornel. Milt. 7. quibus Schuetzius assentitur ad de Or. I. 40, 184. Garatonus ad Verr. II. 2. cuius exempla Arch. 7, 16. Sallust. Iug. 1. c. Liv. II. 56. Zumptius p. 393. his auxit: Liv. XXXVII. 34. Cic. Mil. 17. Verr. V. 51. — Heindorf. ad Horat. Serm. I. 3, 4. Grotefend. in Gramm. §. 233. n. 1, 2. Baumgarten-Crusius de genere dicendi Suetonii tom. III. p. 839. His omnibus parum proficitur, nisi ut sciamus fuisse morem Latinorum, temporibus illis nonnunquam praeter sensum nostrorum hominum utendi. Non magis ex re sunt, quae Goerenzius attulit ad Legg. III. 13, 30. et Fin. V. 3, 8. Neque Weiskius audiendus, qui ad Arch. 7, 16. Heusingerianam rationem amplexus, hanc enallagen Ciceroni usitatissimam fuisse ad variandam orationem pronunciat; assentiente Kruegero l. c. p. 259. Sed videndum, ne sic iudicantes et varii generis exempla in unum cogentes ordinem, omnia sic, quae in Latinis monstra et portenta sunt, probare et defendere dicamur. Omnium autem copiosissime de nostro argumento adhuc egit Kruegerus, cuius librum saepe laudavimus; multa doctrina, nec sine iudicii subtilitate; sed ipsa disserendi copia res adeo videtur confudisse, et suis adeo placitis ipse repugnare, ut

neque sequi eius rationem possimus, et iis potissimum utamur, quae in notulis brevius et planius scripsit. (v. p. 214. sqq. inprimis p. 255.)

Est autem pars locorum, quae huc trahi solent, ex eo genere, de quo paulo ante locuti sumus; quo vel conditio in universum, et nostro quoque tempore durans cum consequentia momento temporis olim absoluta copulatur, vel, quod oppositum est, conditio olim absoluta, eventum nunc adhuc manentem habet. Sic enim plusquamperfecta imperfectis sociari oportet. In eius generis exemplis interpretandis varie lapsi sunt editores. Vide Cic. p. Red. in Sen. 14, 35. Quod si mihi aeternam esse positam aerumnam *arbitrarer*, morte me ipse potius quam sempiterno dolore *multassem*. — Nam non tunc modo, cum abiret in exsilium, id arbitratus est, sed nunc quoque arbitratur. Hoc loco solenni modo errat Weiskius. Tales sunt quos idem advocat, loci p. Mil. 15, 39.: quem (Clodium) qui tum *interemisset*, non de impunitate eius sed de praemiis *cogitaretur*. cf. ib. 19, 52. 23, 61. 29, 79. Sed ab re est, quod Weiskius affert, 34, 94. Adde Philipp. II. 2. int. Sed nec fecisti, nec si *cuperes*, tibi id per C. Curionem facere *licuisset*. Id est, etiamsi nunc adhuc cuperes, neque licuisset olim, neque liceret. Ad quem locum mira narrat Wernsdorfius. Harusp. Resp. 22. v. f. Coel. 6, 14. Liv. XXXIV. 2. XXXVII. 34. quod exemplum praeterea orationem obliquam habet. Cic. p. Cluent. 29, 80. de Or. I. 54, 233. Tuscul. I. 37, 92. quorum locorum partem tetigit recteque explicuit Kruegerus p. 287. sqq. Nec satis ubique de lectione

constat. Velut Philipp. I. 5. fin. quo loco libri plurimi et optimi quique *scissent* exhibent: *scirent*, enallages speciem prae se ferens, dubiae fidei est.

Aliquantum discrepant loca nonnulla, quibus duo imperfecta pro plusquamperfectis sociata videri possint. Velut Legg. III. 13, 30. Non vides, Luculle, a te id ipsum natum, ut cuperent? Quibus id, *si tu non faceres, non liceret.* Goerenz. ad h. l. nihil ait, nisi a Nagelio multis exemplis ostensum esse, imperfecta talia pro plusquamperfectis esse. Sed secus est. Nam Lucullum, cum hic liber scriberetur, iam mortuum, tamen allocutione illa quasi ab inferis excitatum, προςωποποιΐας vi tanquam superstitem ponit. Quod addit Goerenzius, optativos Graecos esse, mihi obscurum est; et obscurius etiam, cur assentiatur Kruegerus p. 268.; profecto non alia de causa, nisi ob penitus insitum de conditionalis imperfecti notione, ut nobis videtur, errorem. Falso enim Graece vertentes sic loqueremur, *εἰ μὴ σὺ ποιήσαις, τοῖς γε ἄλλοις οὐκ ἂν ἐξείη:* nam licet, quia Lucullus idem fecerat, igitur sic rectius erat: *εἰ μὴ σὺ τοῦτ' ἐποίεις, οὐκ ἂν ἐξῆν.* Haud absimilis est locus Fin. V. 3, 8. ubi quid impedit, quominus verba illa: *quod si quis deus diceret, nunquam putarem,* de praesenti tempore accipiamus, cum non sit veri absimilius rem miraculosam nunc fieri, quam factam esse? De hoc item loco falso statuit Kruegerus p. 266. Addimus enunciatum simplex, in quo clarius perspicitur illa imperfecti vis. Rabir. Perd. 5, 15. Prius *moreretur* Gracchus, quam — in foro carnifex *consisteret.* Vivacitas enim orationis et rei indignitas hominem adhuc supersti-

tem cogitari sinit. Sic Off. III. 19, 75. At *dares* hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scribi, in foro, mihi crede, *saltaret*. Est hoc imperfecti πάθος cum natura praesentis historici comparandum. Vidit haec Kruegerus p. 267. sqq. not. et attulit adhuc exempla Fin. II. 34, 112. Off. III. 19, 2. quamquam illum, quem tractavimus locum, Fin. V. 3, 8. minus recte cepit. Paulum ab his descivit Cic. Tusc. I. 37, 90. Cur igitur et Camillus *doleret*, si haec post CCC et L annos eventura *putaret*. Praesens res ponitur, quia praecise dicitur pro *cur doleret, si dolere posset*, quod nunc non potest, cum sit mortuus. —

Tertium locorum genus est exiguo discrimine disiunctorum a praecedenti et facili quasi ratiocinatione inde deductorum. Primum ipsa proferamus exempla. Cic. de Or. I. 40, 184. Si *iudicaretur*, certis quibusdam verbis — fieri divortium, in concubinae locum *duceretur*, (altera uxor) et qui geminus est, ib. 57, 245. si tu aut heredem aut militem *defenderes*, ad Hostilianas te actiones — *contulisses*; tu vero, vel si testamentum *defenderes*, *sic ageres*, ut omne omnium testamentorum ius in eo iudicio positum videretur. Planc. 36, 88. *esset* igitur pugnandum cum consulibus. Hoc ut in conditionalibus dictis ponamus, eo nititur, quod praecessit alterum enunciatum: *ubi enim praesto fuisset tam fortis consul*, (quod particula et nexu conditionali caret, sed tamen pro protasi valet.) Hunc locum tetigit Weiskius ad Arch. 7, 16. sed non explicuit. Rosc. Amer. 36, 103. Africanus, — si sua res *ageretur*, testimonium non *diceret*. Caton. Mai.

6, 19. Num igitur si (Scipio) centesimum annum *vixisset*, senectutis eum suae *poeniteret?* Liv. XXII. 60. Si hoc P. Sempronius *diceret*, nec viros quidem, nec Romanos *duceret*, si nemo tantae virtutis *exstitisset* comes. Comparat diversos ab his locos Matthiae ad Rosc. Amer. l. c. Q. Fr. I. 1, 47. et Rabir. Perd. 5, 15. quem ante vidimus, et adnotat, imperfecto significari aliquid fieri solitum. Sed hoc et nimis vagum est, et minus pertinet ad imperfecti conditionalis naturam. Cf. et Krueger l. c. p. 262—274.; cuius tamen summam ratiocinandi qualem iniit intelligere non potuimus. Nostra quidem ratio haec est. Ponitur in illis exemplis imperfectum plusquamperfecti, quod exspectabatur, loco, si sententiae summa non ad unam modo rem narratam spectat, sed inde deflexa ad stabiliendam generalem quandam notionem, paribus positis quovis tempore valentem traducitur. Velut in primo illo de Or. I. 40, 184. loco controversia haec erat: quando miles in Hispania relicta uxore, alteram Romae duxerat, illane Hispaniensis altero matrimonio protinus repudiata videretur, an, si nonnisi conceptis verbis matrimonium renunciari posset, altera pro concubina habenda esset. Sed non agebatur de una tantum militis uxore, sed de regula iuris, per causam semel iudicatam (*precedent* Angli vocant) constituenda. Pariter de Or. I. 57, 245. non de uno herede olim defenso, sed de simili actione, quoquo deinceps tempore eveniat, statuitur, et Planc. 36, 88. quod in perturbata republica Ciceroni accidit, ut nisi caedes et tumultum concire vellet, de republica cedendum esset, id ad omnia tempora et res similes trans-

fertur. Sic pro Rosc. Amer. l. c. Africanus pro quolibet probo et integro homine, quasi exemplum probitatis est, ut in Livio l. c. P. Tuditanus cuiuslibet fortis civis instar, qui sic ageret non in Cannensi tantum, sed in omni clade simili. Hunc totum locum non satis prudenter tetigit Kruegerus p. 262, 64. sqq. diversissima, ut nobis quidem videtur, permiscendo. Is enim eorum, quos in hoc capite explicuimus, locorum aliquot huc refert, de quibus aliter iudicandis supra diximus, et in aliis enallagen statuit, quae nulla est.

Alia exempla per saturam congesta exhibet Kruegerus p. 218. ex quibus huc non faciunt Liv. III. 9. Cic. de Or. II. 55. Tuscul. I. 12. Cic. Diverss. VI. 10. de Or. I. 39, 180. Tacit. Histor. II. 5. Nepos Milt. 7, 5. idem Att. 6. Sueton. Tiber. 61. Plin. Epp. II. 13. Et de iis quidem, quae non sunt ex genere conditionalium, recte statuit Kruegerus p. 223. sqq. et sunt omnia ex regula copulandorum temporum dicta. Alia autem eorum similia sunt iis, quae ante iam de hoc ordine exempta explicuimus. Reliquorum, quae Kruegerus affert l. c. pars eiusmodi est, quae imperfectum in conditione, plusquamperfectum in consequentia exhibeat. Sic scripsit Sallustius Iugurtha c. 59, 3: Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites — magnam cladem in congressu facerent. Liv. II. 56. Violatusque esset tribunus, nisi concio omnis atrox coorta pro tribuno esset, et concursus hominum — fieret. Flor. III. 21, 12. Poterat videri iure agere, nisi causam suam saevitia corrumperet. Cic. Brut. 67. Huius si vita, si mores, si vultus denique, non omnem

commendationem ingenii everteret, maius nomen in patronis fuisset. — Ibi Ernestus *evertisset* scribendum censuit. Cic. Verr. V. 51. II. 1. Brut. 10. Sueton. Cal. 58. Tac. Agric. 23. Addimus Ciceronem p. Milone 25, 68. Muren. 14, 32. Arch. 7, 16. Caton. Mai. 23, 82. Liv. IX. 19, 5. XXXIX. 42. In huiusmodi exemplis illustrandis cum Kruégerus p. 224, 30. haud satis accurate legentibus nobiscum videatur facere, quamvis obscurius disputandi genus ingressus; mox apertius a nobis discedit p. 235. 39, 40. Quare his relictis, nostram sententiam oportet proferamus.

In quovis huius generis dicto conditionali, quo plusquamperfecto opus esse videtur, ut si dicimus: *Ille filium non exheredasset, nisi ei admodum succensuisset,* utrumque dicti membrum ex eo tempore, quo loquimur ipsi, perpendentes, iamiam confectum esse et absolutum proponimus. Id quod optime patet, si oppositam sententiam videmus: *exheredavit filium, succensuit igitur.* Nam duplici utimur praeterito absoluto. Causa igitur, cur exheredaretur, et exheredatio ipsa quasi eodem a nobis loquentibus intervallo distat, utrumque nude absolutum iam et confectum ponitur. Sed si per sermonis legem fieri posset, simul exprimendus esset causae et eventus inter se nexus, ita, ut vel eodem tempore vel paulo ante contigisse causa videatur. Imperfectum vero huic usui constitutum esse scimus, ut res cum praeterlapsa quadam actione eodem tempore iunctas significet (*eine in der Vergangenheit gegenwärtige Handlung*). Qua de re, cum quasi ambigere videatur loquentium sermo, num potius

actionem per se, causaeque et eventus nexum spectet, an utrumque ex mente loquentis nude tanquam praeterlapsum ponat, quod frequentius est, solitus interdum temporum ordo deseritur. Hoc ex parte viderat Bauerus ad Sanct. Min. p. 124. Mendosam autem in hac re orationem agnoscere non possumus, sed (quod in centenis aliis rebus fit) inter duplicem analogiam cum quadam incertitudine fluctuantem. Non vereor, ne quis hanc disputationem cum ea confundat, quam olim ad enallages suspicionem in nonnullis exemplis plane tollendam adhibuimus. Illic enim tempora permutata non toleranda, sed defendenda diximus, quod non necessarium esset de praeterita actione cogitare, sed esse, cur etiam ei, quo loqueremur, tempori adscriberetur.

Sunt vero exempla, quamquam, si totam rem vel interpretum opiniones comparaveris, perpauca, quibus etiam haec explicandi via non potest adhiberi. Haec exempla vel utrinque (quod rarius) imperfecta habent, vel in apodosi, sed sensu discrepant ab illis, quae disputationis huius initio attigimus. In his igitur Kruegero, (p. 261.) veram temporis enallagen fieri, concedemus. Ut Cic. Brut. 50. De populo si quem ita rogavisses: Quis est in hac civitate eloquentissimus? in Antonio aut Crasso aut *dubitaret*, aut hunc aliquis, illum alius *diceret*. Liv. IX. 19. Persas Indosque aliasque si adiunxisset gentes (Alexander) impedimentum maius quam auxilium *traheret*. Florus III. 3, 13. Si statim infesto agmine urbem petiissent, grande discrimen *erat*. Sed quod addit Kruegerus, ex Plauto, Merc.

V. 4, 33. melius de re durante intelligitur. Sic etiam est in Terentii Adelphis I. 2, 27. de quo toto genere diximus. Verum illa quoque temporis imperfecti et plusquamperfecti permutatio aliquo modo excusari potest, et eo quidem, qui plane oppositus sit rationi exemplorum proxime ante a nobis illustratorum. Nexus enim temporis praegressi cum sequente custoditus videtur a sic dicentibus, itaque a solenni loquendi usu discessum.

De modorum in classe tertia commutationibus disputare omittimus. Nam post Zumptium (p. 388.), Kruegerum (p. 334.) inprimis Gernhardus in commentatione grammatica tertia (Seebode Archiv etc. 1826. fasc. II.) hunc locum tam accurate et copiose tractavit, ut huius viri opera vix ullo modo videatur posse suppleri.

§. 5.

Sic igitur ad disputationis institutum revertimur. Est quartum dictorum conditionalium genus, cum primo propius, quam cum ceteris iunctum. In eo significatur neque causam adesse dum, neque eventum: sed cum primum contigerit illa, eodem temporis momento et hunc affuturum. In consequentia igitur exprimenda futuro vel aoristo praesentis, qui de actione quolibet tempore eveniente usurpatur, vel imperativo opus est, quod rei natura pariter atque linguarum indole probatur. In conditione Graeci religiose observant ἐὰν particula uti, addito vel praesentis vel aoristi, inter quae leve discrimen intercedit, coniunctivo. Tritum est enim, hoc modo non omne cogitatum, neque adeo

simpliciter cogitatum (cui significando optativus constitutus est) exprimi, sed modo id, quod incerto tempore futurum ponatur vel quolibet, praeterito excepto, accidere saepius et indefinite possit. Quid Latinis hominibus placuerit, post Hermannum expeditum videbatur. Sed exortus est V. D. quem saepius memoravimus, Kruegerus (p. 92. sqq.) asseverans, Latinis in hoc genere suetum esse coniunctivo praesentis, ut Graeci faciunt, uti; et illud *ἐάν τι ἔχω, δώσω* prorsus respondere Latino: *si quid habeam, dabo.* Verum coniunctivo Latino, si ad particulas temporales quasdam exceperis positum, longe aliud quid denotare certum est; et in universum modorum paritatem ab iis in hoc genere observatam videmus, ut pro regula constituisse Kruegerus videatur id, quod in exceptis adnotandum erat. Neque controversia tollitur, si cum illo ita verteris: *wenn ich etwas haben sollte:* nam ne nobis Germanis quidem quidquam subsidii in nostra sermone est, quo Graecorum hominum acumina omnia consequamur. — Mihi saltem, si ita, ut posuimus, interpreteris, plane incerta res sumi videtur, quae tamen, etsi non certa, at vero simillima dicitur in Graeco *ἐὰν ἔχω.* Melius respondet nostrum praesens indicativi, addito *einst.* Concedamus quidem oportet, verbo Latino neque tempus neque modum esse, qui Graecorum rationi plane totus sit similis. Sed longe propius accedit futurum alterum, quod exactum dicunt: *si quid habuero, dabo*, h. e. si olim habebo, antequam dem, id quod fore spero. Id modo discriminis est, quod futuro exacto aliqua perfectae actionis significatio adhaeret; qua fit, ut

eventus non prius locum videatur esse habiturus, quam conditione, quae nunc futura exspectatur, iam absoluta. Id vero Graeci aoristo coniunctivo significari in his dictis voluerunt: coniunctivo autem praesentis causam et eventum uno fere eodemque temporis momento incidere, non indefinite futuro, (quod futuro indicativi exprimi solet; sed eo, ut eveniendi necessitas arctissime et inseparabili modo cum causa absolvenda iuncta sit, sive accidat simulac causa absolvatur. Iure Buttmannus in Gr. Gr. l. c. Hermanni vestigia secutus hoc dicendi genus ita designat: *Möglichkeit mit Aussicht auf Entscheidung*. Eius innumera fere exempla mirum est quod adeo praetervidit Kruegerus, ut eorum ne verbo quidem, nec in exceptis de communi, quam ponere conatur, regula meminerit. Haec est illa dicendi ratio, in qua futura simplicia exactis inducendis saepe oblitterata dicit Goerenzius ad Legg. II. 18, 45. et alibi saepius. Sed non video, cur non idem inverso ordine factum dicatur esse. Nam utrumque tempus futurum haud magno discrimine interposito facile commutari patet. Vide Cic. ad Diverss. XI. 11. *Malevolentiae si poteris, occurres: si non potueris, hoc consolabere* sqq. Sic Ernestus. Graeviana sine Mss. assensu *si non poteris*, videlicet paritatis causa, sive quis concinnitatem dicere malit: quod pro interpretamento habendum, etiamsi Mss. praeberent, non dubitarem. *Occursurum* malevolentiae, incertum quo tempore, modo futuro, tanquam verisimile ponit, siquidem rei ratio permittat, de quo nondum certior factus est experiendo. Illud alterum, *si non potueris* hoc valet, si periculum factum sit

experiendo, num fieri possit, et sinistra quidem eventu, tum, non ante consolaturum sese illum esse. De primi et exacti futuri differentia conferri etiam possunt Vossius de anal. III. 15. Perizonius ad Sanct. Minerv. I. 13. p. 120. ed. Lips. et inprimis V. Celeberr. A. Matthiae in dissert. de usu fut. exact. Latinor. inserta diario a Seebodio edito. *Archiv f. Philologie u. Pädagogik.* Vol. II. fasc. I. p. 20. 1825. Videamus alia exempla. Cic. Legg. I. 10, 28. *Id iam patebit, si hominum societatem perspexeris.* Hoc est, nunc non patet, neque ante quam perspexeris, sed tum statim fiet momento temporis. Acad. II. 21, 68. *Sin autem omnino, nihil esse, quod percipi possit, a me sumsero — effectum illud erit, sapientem assensus omnes cohibiturum.* i. e. ubi primum sumsero, et simul ac quidem fecero, illud sequetur. Legg. III. 17, 39. in quo exemplo coniunctivus *habeat*, est pro imperativo *habeto*; Legg. II. 5, 13. Fin. II. 18, 58. IV. 1, 2. Plin. Epp. II. 19, 9. exempla sunt eiusdem generis, quorum similia singulis paginis auctorum Latinorum reperias. Etiam exactum q. d. futurum in apodosi reperitur. Quod qui differat, v. Matthiae l. c.

Leviter ab his deflexa illa sunt, quorum apodosis notionem possibilitatis continet. Nam quod potest fieri, id, nisi additur, nunc posse fieri, nondum fit, sed futurum fortasse est aliquando. Cic. Acad. II. 7, 22. *Quid est, quod arte effici possit,* (h. e. quid effici potest) *nisi is, qui artem tractabit, multa perfecerit.* ib. 38, 121. *Quis enim potest, cum existimet, se curari a deo, non et dies et noctes divinum numen horrere? et, si quid adversi accide-*

rit (quod cui non accidit?) extimescere, ne id iure evenerit? Alia eiusmodi exempla videat Fin. II. 21, 69. Legg. I. 19, 51. Acad. II. 14, 48. de Or. I. 17, 76. Fin. V. 28, 84. Plin. Epp. II. 2.

Sunt etiam exempla non infrequentia, in quibus aoristo praesentis eventus cum includatur, non nostro tempore, sed quolibet incerto, futuro quoque, valore dicitur. Sic enim illius aoristi cum futuro quaedam affinitas est. Ut Cic. Fin. I. 1, 2. *tamen nec modus est* (non, quo loquimur, tempore, sed incerto, fortasse nunquam nec est, nec erit) *investigandi, nisi inveneris.* de Off. II. 20, 70. *si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo, aut — in liberis eius manet gratia* (manet in futurum, ergo manebit etiam.) de Or. I. 30, 135. *Sed profecto studio nihil prosunt* (nec nunc, nec unquam solent prodesse) *nisi illud, quod quo intendas ferat, cognoris.* Adde II. 45, 195. 74, 302. Acad. I. 7, 26. Fin. V. 15, 42. pro Archia 6, 13. de opt. gen. oratt. 7. Plin. Epp. I. 8. IV. 7, 6. ib. 12, 7. IX. 29. f. Quintilian. Inst. Or. II. 4, 17. IV. 1, 8. 2, 66. VII. 2, 12. 3, 6. X. 6, 5. Sic et Graeci faciunt. v. Isocr. Archidam. p. 183, 25. Antidos. p. 372, 117. Aesch. c. Timarch. 278, 87. ubi apodosis est in participio. ib. 279, 91. de fals. leg. 315, 5. etc. Lysias c. Andocidem p. 208, 14. c. Agoratum p. 279, 81. Lycurg. c. Leocrat. p. 203, 27. Plato Phaedr. 14.

§. 6.

Haec sunt conditionalium dictorum linguae Latinae genera praecipua et quasi legitima, in quibus quas de temporibus verbi rite copulandis olim regu-

las

las posuimus, constanter observari solent. Prima enim et tertia classis enunciatum conditionale et consecutivum ita iungit, ut a loquentibus iudicium simul additum insit, num vel utrumque, vel alterutrum suo adhuc tempore fiat, vel adhuc futurum sit, vel iam peractum, quare tempora omnia absoluta suo quodque iure copulata reperiuntur: relativorum vero imperfectum et plusquamperfectum, sed nonnisi per ellipsin quandam. Ceterum futuri temporis tertia classis, quoniam rem futuram fieri non posse vel esse incredibile ut fiat, continuo asseverari non potest. In ordinibus secundo et quarto loquentium iudicium de tempore actionis ad ipsorum tempora relato abest: regnat igitur lex ea, ut relativae temporum formae absolutas vel aoristos comitentur. Et in secundo quidem ordine, qui definita temporis nota, ut in re prorsus incerta, caret, aoristus praesentis apodosi peculiaris est. Quartus autem futurum vel imperativum vel aoristum praesentis, actionem infinitam quolibet eventuram tempore significantem, suspensum exhibet a futuro exacto, quoniam eius natura illa est, ut rem in futuro peractam contineat.

Verum sunt exempla non sane pauca, et optimae quidem notae scriptorum, in quibus illas legitimas et quasi solennes dicendi formas neglectas animadvertimus. Permutatur enim genus primum et secundum, ubi sententia paulum inflexa est; ita non modo indicativi conditionum coniunctivos consequentes sibi adiungi patiuntur, et coniunctivi indicativos, temporibus quidem servatis: sed coniunctivi etiam, actionem infinitam significantes interdum fu-

turorum vias occupant. Idem persaepe a Graecis factum reperitur. Fit autem per genus quoddam ἀνακολουθίας. Si quis verbi causa ita incipit loqui: *Si deus est*, tanquam de verisimili re loquitur; si deinde ita pergit: *non minus sit immortalis animus humanus*, antequam hanc apodosin proferre incepit, sententia paulum mutata rem confidentius positam iam incertiorem esse opinatur, mutaturusque esset protasin, nisi iam prolata esset. Sic igitur Cicero dixit, Acad. II. 20, 65. Nam si pertinacia reprehenditur, ego de omni statu — totius vitae aut certare aut frustrari velim. Legg. III. 20, 47. Accusatores graves esse non possunt, nisi sint voluntarii. (πλὴν εἰ ἑκόντες γίγνοιντο.) ND. II. 37, 104. quae causa moveat, si movetur aliquando. Tuscul. IV. 28, 60. Est sanatio, si doceas. Catil. IV. 4, 7. Habet ista res iniquitatem, si imperare velis. ad Div. X. 8. versus finem: sin ad societatem — periculorum accedam, consilia mea — commendo. In praecedentibus tamen scribendum aut *pollicerer* et *laetarer*, aut *pollicear* et *laetor*, mutato sensu. Adde Ciceroniana exempla Acad. II. 17, 54. Fin. I. 17, 65. Plinii epist. I. 8, 14. 9, 3. 20, 10. et 23. II. 5, 6. IX. 6. f. ubi recte Schaeferus *sunt* ex Codd. Quintilian. Inst. Or. I. 4, 11. II. 8, 9. IV. 1, 64. et 72. VI. 4, 20. VII. 3, 26. 7, 2. IX. 2, 2. XI. 2, 1. XII. 8, 5. Temporis simul cum modis confusi exempla vide Cic. Acad. I. 2, 7. Si vero Academiam — persequamur — quam erit illa acute explicanda nobis? Off. II. 11, 40. nisi (latro) praedam aequabiliter dispertiat, aut interficietur, aut relinquetur. Sic cum codd. Gernhardus, sed minus iustam ob causam.

Tuscul. I. 13, 29. Lael. 21. Fin. III. 21, 73. Quintilian. prooem. I. 25. I. 2, 14. 6, 44. IV. 5, 4. V. 11, 10. VIII. 5, 25. IV. 2, 33. et 86. Addamus Graecorum exempla per saturam congesta. Antiphon p. 17, 4. *εἰ γὰρ — ἐν ἐμοὶ τἀδίκημα φανεῖται ἐγὼ ἂν εἰκότως καθαρὸς δοκοίην εἶναι.* 36, 4. *εἰ δι' ἄλλην τινὰ ἔχθραν τοὺς ἀναιτίους διώκοχμεν, — δεινοὺς ἀλιτηρίους ἕξομεν.* Inversi generis exemplum v. p. 42, 3. *ἀνόσια ἂν — πάθοι, εἰ μήτε ἀποκτείνας, — μήτι ἄρξας — φονεὺς ἔσται.* Andocid. c. Alcib. p. 149, 10. *εἰ δεήσει, οὐκ ἂν ἐξαρκέστιεν οἱ παρὼν χρόνος.* Lysias p. Mantitheo p. 300, 17. *εἴ τινες — ὀργίζονται — οὐκ ἂν δικαίως περὶ ἐμοῦ τὴν γνώμην ταύτην ἔχοιεν.* c. Evandrum p. 359, 10. *οὐκ ἂν ἄτοπον ποιήσαιτε, τί μὴ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοντες περὶ αὐτοῦ φανεῖσθε.* Plato Phaedr. p. 84. v. fin. *οὗτοι ἂν — καταγελῷεν, εἴ τις οἴεται, τραγῳδίαν ἄλλο τι εἶναι ἢ τὴν τούτων σύστασιν.* Protag. p. 186. p. m. *σμικροῦ τινὸς ἐνδεής εἰμι — πάντ' ἔχειν, εἴ μοι ἀποκρίναιο τόδε.* Sed ubi codd. plurimi consentiunt, parilitas servanda, ut recte fecerit Bekkerus, cum in Republ. I. p. 74. *ἐρεῖ* dedit ex omnibus codd. praeter tres, contra ac vult Astius ad h. l. p. 412. inutiliter testes talis compositionis adhibens Matthiae Gramm. M. p. 710. (haec etiam nobis semel testata esto, cum veras conditionalium rationes in ea alias parum perspectas videamus.) Heindorfium ad Phaedon. p. 21. 27. Boeckhium ad Min. 62. Matth. Misc. Philol. vol. II. p. 1. p. 53.

Praeterea secundus et quartus ordo mixti videntur, cum futurum exactum protaseos conditionalis praesens aut perfectum coniunctivi consequens

habet. Et haec consociatio, si quis cogitaverit, quam prope illa, siquidem ἀορίστως dicantur, a futuro adsint, perfacile excusabitur. Ut apud Ciceronem Tusc. II. 3, 8. ego quoque didicerim lubentius, si quid attuleris. Acad. II. 16, 49. Huc si perveneris, meum vitium fuerit. Legg. I. 12, 34. Lael. 4. versus fin. Fin. II. 33, 107. ND. II. 21, 57. Catil. II. 5. v. f. Quintilian. prooem. VI. 14. Graecus Lysias p. Invalido p. 344, 6. ἧς (προσόδου) ἂν ἀφέλησθέ με, κινδυνεύσαιμ' ἂν ὑπὸ τῇ δυσχερεστάτῃ εἶναι τύχῃ. Plato Lachete p. 251. εἰσὶ γάρ τινες οἳ τοιούτων καταγελῶσιν, καὶ ἐάν τις αὐτοῖς συμβουλεύσηται, οὐκ ἂν εἴποιεν, ἃ νοοῦσιν. Phaedr. p. 65. ἐὰν δὲ ὁρῶσι διαλεγομένους, — τάχ' ἂν δοῖεν ἀγασθέντες. Sophocles Electra v. 544.:

> ἀλλ' ἢν ἐφῇς μοι, τοῦ τεθνηκότος χάριν
> λέξαιμ' ἂν ὀρθῶς, τῆς κασιγνήτης θ' ὁμοῦ.

Apertum est autem, tertiae classis s. τῶν ἀδυνατῶν θέσεων cum ceteris nec affinitatem esse, neque permutandi libertatem. Nam vix ante cogitetur, incredibilem causam magis minusve probabilem eventum haberi. Si in Graecis libris eiusmodi exempla aliquot exstant, et de lectione ubique constat, concedendum, ut in multis, gentem ingeniosissimam paulo plus iusto sibi sumsisse licentiae. In Latinis eiusmodi loca vix reperiuntur. Quod unum novi, Senecae Rhetoris Controv. IV. 25. p. 281. ed. Bipont. cum et solitarium sit, et apud auctorem exstet, qui unus omnium longe corruptissimus ad nostram notitiam pervenit, necessario videtur ita refingendum esse, ut vel *deducetur* vel *laederet* scribatur.

§. 7.

Pergimus ad locum sane impeditum et lubricum; ut conditionalia oblique sive oratione suspensa enunciata consideremus. Quam rem accuratius perpendere et illustrare cum praecipuum Kruegeri V. D. consilium fuisset, isque et multa et pleraque omnia recta vidisset exposuissetque, tamen nonnulla, quae quidem summam rem et quasi fundamentum disputationis spectant, adnotanda, in nonnullis etiam rem fere integram reperimus, cum ille neque omnia illa quatuor conditionalium genera, neque, quae sunt in singulis, minora discrimina tractaverit. Praeterea rem luce egentissimam immodica verborum copia tractavit, cum praecipue brevitate opus esset; ut iam ab iis gratiam inituri videamur, qui eius, quod in hac re exploratum et verisimile putetur, facilem conspectum nancisci cupiunt.

Est igitur dictorum conditionalium oblique s. sermone liquido suspensove enunciatorum genus duplex. *Alterum* sententiam loquentis ipsis verbis introductum narrat, unde consequentia s. eventus infinitivo comprehendatur necesse est, ut qui a verbo dicendi vel iudicandi pendeat; causam autem s. conditionem significans membrum pristinis iuris retinens, tempore aliquo finito continetur. Velut: dico me a te argentum accepturum fuisse, si domi fuisses. *Alterum* est, quando eventus consequens a particula quadam coniunctivum poscente suspensus est. Nam si indicativus manet, non sane hoc genus ab oratione recta, quam dicunt, differt. Exemplum eius, quam volumus, rationis hoc ponam Ciceronis ad Atticum VII. 9. m. est omnino id eiusmodi, ut si ille

eo descendat, contra dici nihil possit. — Prius illud, mox hoc dicendi genus illustrabimus.

Si igitur consequentia infinitivo comprehensa a tempore quodam finito suspenditur, haec in universum regula valet, definitum illud tempus cum infinitivo addito unam quasi notionem efficere; unde fit, ut enunciati conditionalis ratio definito illo tempore constituatur potissimum. Nam, quod Kruegerus recte observat, infinitivo nil nisi actio tanquam praesens, aut peracta aut futura designatur; deest autem notatio, in quemnam quasi temporis orbem incidat illa. Potest enim in praesenti aliquid praesens perfectum aut futurum esse, nec minus in praeterito aut futuro. Ut: *dico me a te amari*, praesens est praesenti tempore: *dixi me a te amari*, praesens fuit nunc praeterito tempore; *dicam, me a te amari* amorem significat, qui praesens incidet in rem futuram. Unde easdem fere Kruegerus rationes elicit (p. 38.), quas posuimus. Haec igitur de apodoseos tempore. Deinde observandum est, ordinem secundum, quem fecimus, a primo conditionalium nulla ratione posse discerni: tolli ergo in oratione obliqua horum differentiam. Nam quae enunciata secundaria ab infinitivo suspensa ad loquentis sententiam ita pertinent, ut ei amplificandae et explicandae inserviant, ea coniunctivo comprehendenda erunt; qui modus secundo conditionalium ordini (incertorum) iam per se solennis est. Quodsi igitur Cicero dixit de Legibus III. 17, 39. *Non vides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis, quid optimi viri sentiant?* — plane manet incertum, utrum liquida oratione sublata dici voluerit:

si ambitus silet, quaeritur in suffragiis, an sic: *si ambitus sileat, quaeratur in suffragiis*. De illa regula, suspensa quaeque ab infinitivis coniunctivos poscere, si eiusdem sententiae sint, unum videtur, secundum exempla sane quidem non multa, futurum exactum, cuius tamen magna cum perfecto coniunctivi affinitas aliquid in hac re excusationis habet. Ultimo loco adnotamus, perinde esse, infinitivi num a praesente an a futuro definito suspendantur.

Primi igitur ordinis (§. 2.) haec rursum genera et quasi variationes discreta erant. Utar autem uno eodemque exemplo, varie inflexo, quo facilius pateat res:

1. si audio, respondeo;
2. si audivi, respondeo;
3. si audivi, respondi;
4. si audio, respondebo;
5. si audivi, respondebo;
6. si audiam, respondebo.

Hoc παράδειγμα si continuo sermone enunciaveris, a praesente vel futuro suspensum sex formas dabit; rursum sex alias, si a praeterito pendeat:

1. { 1. dico s. dicam, me respondere, si audiam;
     2. dixi, me respondere, si audiam, s. audirem;

2. { 3. dico s. dicam, me si (quando) audiverim, respondere (solere);
     4. dixi, me si audiverim s. audivissem, respondere;

3. { 5. dico s. dicam, me respondisse, si audiverim;
     6. dixi, me respondisse, si audiverim s. audivissem;

4. 7. dico s. dicam, me responsurum, si audiam;
8. dixi, me responsurum, si audiam s. audirem;

5. 9. dico s. dicam, me responsurum, si audiverim;
10. dixi, me responsurum, si audiverim s. audivissem;

6. 11. dico s. dicam, me responsurum, si audiam (praes. Coni.);
12. dixi, me responsurum, si audiam s. audirem.

Haec sic nude posita, et ob necessitatem unius exempli repetendi minus manifesta, paucis illustrabimus.

Primum ob id, quod ante posuimus, infinitivos ἀποδόσεων non solos spectari, sed inprimis tempus finitum, a quo sit suspensus, omnibus iis locis, in quibus infinitivi qualescunque a praeterito pendeant, non legitimum conditionis tempus solum, h. e. coniunctivum eius, quo in oratione recta utendum erat, sed etiam imperfectum pro praesente, plusquamperfectum pro praeterito dici, in qua re tempus finitum genere quodam attractionis secundarium sibi accommodet. Et hoc tantum interesse videtur, si in auctoribus Latinis haec tempora promiscui usus fuisse animadvertimus, quod imperfecto vel plusquamperfecto usi finitum illud, praesenti vel praeterito autem, infinitivum potissimum spectaverint.

Deinde nihil magnopere referre, utrum sit praesens an futurum, a quo infinitivi ἀποδόσεων pendeant; quorum temporum aliis etiam in rebus penitissima cognatio est.

Postremo, quod et ipsum huius cognationis testimonium esse poterit, nihil differre membra conditionem continentia primae illius et sextae formae, quae in oratione liquida primam et secundam, undecimamque et duodecimam efficiunt. Nam conditionali dicto utentes, si futuri coniunctivo opus est, necessario ad praesens coniunctivi recurritur, quia coniunctivus ille, circumscribendo factus a verbo substantivo, absoluti, quod dicimus futuri sensum exhibet.

Singula nunc duodecim formarum istarum exempla ponamus, quotquot reperire potuimus.

1. Primae frequentissima et singulis quasi passibus obvia sunt. Cic. de Fin. II. 26, 85. Vides igitur, si amicitiam sua caritate metiare, nihil esse praestantius. III. 14, 46. Stoicis non videtur optabilior esse vita, si sit longa. Tuscul. III. 29, 72. gratum mortuis si facere, si lugeant, arbitrantur. Sic Heindorfium de N. D. I. 31, 86. recte coniecisse putamus cum censore eius editionis Ienensi. de Div. I. 55. Att. VIII. 3. Diverss. VII. 10. At Verr. IV. 97. v. f. scribendum *recuperetis;* nimis enim solitarius, et plane ἅπαξ λεγόμενος est ille indicativus. Adde Quintil. II. 5, 3. III. 6, 14. Plin. Epp. X. 28. f. si cum edd. legas *agantur.*

2. Liv. VI. 39. (Licinius et Sextius dicebant) si coniunctim ferri ab se promulgatas rationes *vellent,* esse, quod eosdem reficerent tribunos plebis — sin, quod cuique privatim opus sit, id modo accipi *velint,* opus esse nihil invidiosa continuatione honoris. — Videmus in pari causa fluctuatum inter praesens et imperfectum conditionis. Inprimis Kruegerus

variis locis eius generis exempla attulit, fere solam hanc formulam dicendi spectans. Cui utinam brevius, ordinatius et dilucidius scribere libuisset; sic hac nostra disputatione opus non esset. Illud adhuc per occasionem admonemus, loca, quibus usus est V. D. p. 51. sqq. et 87. quae non omnia conditionalium dictorum sunt, ceteroqui etiam diversissimi generis esse: in nonnullis legitimum esse imperfectum, in aliis nulla ratione posse defendi; ut v. c. recte dixerit Cicero de Or. I. 36, 165.; alia deinde excusari, quod praesens finitum aoristi historici locum teneat. Quae vero Wopkensius lectt. Tull. p. 38. exhibet, ea coacervata verius quam indicata dixeris. Causam fluctuandi, quae Veteribus fuisse videatur, supra indicavimus. Aliam attulit Wagnerus in comment. de coni. ap. Lat. natura et usu p. 28. cf. Krueger. l. c. p. 61. E multis, quae passim hunc usum firmant, exemplis, ponimus haec: Cic. Acad. II. 47, 146. tu si nihil eorum comprehendi posset, artificia concidere dicebas. Philipp. II. 20. si in eo perseverares, — referri malebam. de Fin. IV. 9, 21. eosque nisi — consecuti essent, summe esse miseros (censent). Praesentium exempla habet Krueger. p. 91.

3. Tertiae formulae rarius locus fuisse apud Vett. videtur. Cic. Verr. III. 46. f. (civitates Siculae) si tu absolutus sis, funditus eversas se esse arbitrantur. Nam *eversas esse* praesentis instar esse debet, cum participium adiectivi loco sit, ut saepe solet. Adde Off. I. 42, 148. ut, si quid Socrates aut Aristippus — fecerint, — idem sibi arbitretur licere. Recta oratio haec haberet: *Si Socrates aut Aristippus fecerunt, mihi idem licet.* ad Diverss.

V. 17. Vereor, ne, si nihil ad te scripserim, debitum eius virtuti testimonium videar non dedisse. — Sed id exemplum alia ratione struendum videtur.

4. Quartae frequentiora exempla enotavi haec, quae tamen omnia plusquamperfectum pro perfecto, quod in oratione recta futurum erat, ita acriter tenent, ut sic solenne, altera dicendi forma fere inusitata videatur. Cicero ad Att. IX. 6. satis esse dixit, si praestitissem. ad Diverss. IX. 24. Periculum esse demonstrabat, nisi revertisses. Sed potest hoc et Att. XII. 41. etiam ad quartam classem oblique enunciatam referri. Eiusmodi exempla, dubia quo referantur, sicut etiam Off. II. 1, 4. de Or. I. 20, 93. de Legg. I. 4, 12. Liv. XXIV. 37. p. m. Certius hoc est, de Or. I. 1, 1. fuit (tempus) cum mihi quoque initium requiescendi — concessum esse arbitrarer, si infinitus labor — constitisset. Nam potest sane per sensum loci sic accipi: *Mihi initium requiescendi concessum est, si quando infinitus labor constitit;* nec prorsus necessarium, ut dicatur *constiterit*, referaturque locus ad cl. IV.

5. Quintae formae hoc est exemplum: de Fin. I. 10, 35. interea hoc tenebo, si ob aliquam causam ista — fecerint, virtutem his ipsam per se causam non fuisse. Recta oratione sic loqui poterat: *si fecerunt, virtus causa non fuit;* quamvis et hoc ad quartum ordinem possit accenseri.

6. Sextae formulae testimonium nondum reperi, quamvis vix dubitari de ea posse videatur; plusquamperfectum etiam in hac solenne esse credo.

7. 8. et 11. 12. Haec genera ob penuriam temporum et modorum relativorum discerni non posse

manifestum est. Nam si ponimus hoc: *si nunc scio, statim post dicam*; et *si sciam aliquando, mox etiam dicam*; oratione obliqua enunciata sic habeant necesse est: *dico* s. *dicam*, *me statim post dicturum si nunc sciam*, et *dico*, me mox dicturum, si sciam aliquando. Atque sic iudicandum illud Ciceronis ad Atticum XIV. 22. mihi venit in mentem, si Pompeius cum exercitu veniat, — certo fore bellum. — Nam recta oratione prolata talia possint esse: si Pompeius venit (sive veniet) cum exercitu, bellum erit. Ita ib. XV. 14. assentior, si multum possit Octavianus, — acta tyranni comprobatum iri. Diverss. XIV. 8. v. f. quod scribis, te, si velim, ad me venturum sqq. Eadem, si a praeteritis pendeant consimilia erunt. *Dixi, me responsurum si sciam* oratione recta utentes et sic vertere possimus: *si scio, dicam*, et *si sciam, dicam*. Et sic Liv. III. 61. (Consul meminisse iubebat,) — si fortuna belli inclinet, omnium liberis ab tot millibus hostium periculum fore. Tacitus Annal. I. 13. (Augustus dixit) L. Arruntium non indignum (esse imperio) et si casus daretur, ausurum. Recta oratio foret: Lucius Arruntius, si casus datur s. dabitur, audebit. Imperfectum vero et praesens enunciati conditionalis eodem iure sunt, ut et in aliis vidimus. Unam tamen exemplum novi, quo ob hanc ipsam ambiguitatem, pro praesente coniunctivi futurum indicativi reperitur, et tali quidem forma, ut de mutatione lectionis cogitari plane non possit. Est illud in Cic. Off. III. 33. f. tibique persuade, esse te quidem mihi carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere. *Laetere* exspectes.

Formarum nonae et decimae, quae iam in oratione recta haud frequenter reperiri solent, continua dictione prolatarum exempla multum quaerendo non reperio.

Minus longae disputationis erunt, quae de ordinibus conditionalium tertio et quarto a verbo finito suspensis dicenda sunt.

Et tertium quidem conditionalium genus (§. 4.) in oratione liquida regula nulla peculiari eget. Patet enim, consequentiarum loco infinitivos periphrasticos esse, et a praesente quidem compositum, quem futuri dicunt, de praesenti, a perfecto vero composito, de praeterita actione: sive illum pro imperfecto, hunc pro plusquamperfecto orationis directae. Membra autem dictorum conditionalia s. causalia mutari non possunt; iam enim per se et coniunctivum poscunt, et duo tantum tempora patiuntur, imperfectum et plusquamperfectum, quibus cum nullo alio in hoc genere permutatio conceditur. In his igitur orationis rectae tenor servatur, sive a praesenti, sive a praeterito finito pendeant. V. Cic. Acad. I. 1, 1. Nunciatum est a M. Varrone, venisse eum; et nisi de via *fessus esset*, continuo ad nos venturum *fuisse*. Fessus etiam tum erat, cum nuntii adesset: quare extra orationem continuam sic scribi poterat: *nisi fessus esset, ad nos venisset.* p. Sulla 7. med. si hoc tibi dem, nisi ego adessem, hos affuturos non fuisse. de Or. II. 66, 267. dixisse dicitur (Africanus de Metello): si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. *Pareret*, est *fieri posset, ut pareret:* igitur sic allocutus Metellum Scipio cogitari debet: si mater tua quintum pareret, asinum pepe-

risset s. paritura esset. Eiusmodi exempla orationis rectae olim ex enallages numero exemimus. Plusquamperfecti in enunciato causali positi, quoniam longe frequentiora exempla sunt, hoc unum afferam: Cic. de Divin. II. 9. anses Pompeium laetaturum fuisse, si scisset. De toto genere minus recte, ob praeiudicatam scilicet opinionem, Kruegerus videtur statuere.

Iam ad quartum ordinem pergimus. Qui cum per se tractatu facillimus sit, quippe futura exacta cum simplicibus, sive quae eorum vices tenent, copulans, in oratione liquida duobus tantum modis differre potest, prout infinitivi consequentiam indicantes vel a praesente futurove, vel a praeterito qualicunque pendent. Sed in hac re mirum aliquid, et quod non facile exspectaveris, factum videtur. Manet enim futurum exactum, coniunctivo carens, quamquam ad infinitivum, cogitationis indicem relato illum modum proprium esse oportuit; eaque sola solennis est coniunctivi in hoc genere liquidae orationis non adhibendi licentia. Olim, antequam de constanti huius legis usu tum sensu ipso, tum exemplis collatis certior factus essem, perfecta coniunctivi, quibus cognatio cum futuris exactis aliqua, horum locorum obtinere credebam. Sed vide Cic. ad Diverss. II. 6. me, si impetraro, plus tibi debiturum sqq. III. 2. si intellexero sqq. Att. XV. 1. ut perspiciat, si — satisfecerit, me fore suum. Legg. II. 18, 40. terrae cultum — suspicor fore, si — accesserit. ad Diverss. XIII. 57. v. f. sed — velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quam si intellexero sqq. XV. 4. p. m. Nunc — tibi

sio persuadeas, si — ad senatum relatum sit, me existimaturum, summam mihi laudem tributam, si tu honorem meum sententia tua comprobaris. Adde Plin. Epp. VII. 1, 3.

Sin vero infinitivus a praeterito quodam definito pendeat, pro futuro exacto conditionali plusquamperfectum usurpari, ut mirum, ita certissimum est. Cic. de Legg. I. 4, 12. At mehercule ego arbitrabar, posse id populo probari, si te ad ius respondendum dedisses. Recta oratione sic loquendum: *populo probari potest, si te dederis.* Att. XIV. 14. med. non meministi, clamare te, omnia periisse, si ille funere elatius esset. *Perierunt* enim, quod ostenderet oratio recta, de instante malo vehementius per πρόληψιν dicitur, quam *peribunt.* Adde eiusdem generis loca de Off. III. 33, 119. de Or. I. 20, 93. Liv. XXIV. 37. post med.

Praesentia etiam, ut in oratione recta adiungi futuris exactis conditionum videmus, quando actio praesens posita ἀορίστως sumta de quolibet incerto tempore, modo ne sit praeteritum, accipi potest. Ut Cic. de Legg. I. 13, 36. Nec enim — satisfieri censent, nisi — disputarint. de Divin. I. 57. si obscura stella exstiterit, — pingue et concretum esse coelum (dicunt). cf. Fin. I. 10, 35. 17, 56. II. 14, 44.

§. 8.

His absolutis, iam ad ea dicta conditionalia explicanda pergimus, in quibus membrum, consequentiam exhibens, a particula aliqua, coniunctivum regente suspensa est. Congruunt ea in multis cum iis, quorum causas adumbravimus. Nam con-

iunctivus in conditione proponendo, si non semper, nec necessario, sed tamen secundum usum et exempla plurima inveniri solet; unde fit ut secunda et prima classis ne hic quidem discrepare videantur. In hoc exemplo: *Fieri solet, ut pecuniam tibi det, si habeat:* quomodo diiudicari possumus, utrum oratio recta haec habere debeat: *pecuniam tibi dat, si habet;* an haec: *pecuniam tibi det,* (δοίη ἂν) *si habeat.* (εἰ ἔχοι)? Porro futura q. d. simplicia cum coniunctivo careant, et quae forma vulgo illius loco censeatur esse, a verbo substantivo et participio composita, absoluti potius quam aoristi futuri sit: id genus obliquarum conditionum, in quorum apodosi futuri coniunctivo, utpote a particula hunc postulante suspenso, opus est, nullo modo exprimere valemus. Nam de futuris protasi insertis mox videbimus. Deinde etiam tertia classis, quae per se coniunctivo opus habet, cum eadem in oratione obliqua debeat esse, nos nihil moratur. Inde efficiuntur hae regulae generales:

1. Spectantur nonnisi ordo primus et quartus.

2. Ex aequabilitatis lege conditiones plerumque coniunctivo enunciantur, eventu consequente eodem modo utente.

3. Futura conditionis loco posita (quod in ordinibus primo tantum et quarto fieri potest,) non mutantur, sed de regula coniunctivi exemta sunt. Aliis temporibus id raro contingit, nec tamen sine exemplo est.

4. Videbimus igitur, quatenus fieri potest, coniunctivos pro indicativis eorundem temporum orationis rectae positos.

Nunc singula strictim, quorum exempla reperiebantur, perlustremus.

Praesentium utrobique positarum exempla sint haec. Cic. de Legg. III. 12, 28. se ita res habet, ut si senatus dominus sit publici consilii — possit sqq. Acad. II. 7, 19. ut, si optio nobis detur — non videam. Alia sunt Fin. I. 14, 48. II. 5, 15. Divin. II. 59. m. ad Att. VII. 9. VIII. 3. Partitt. Or. 39. Quintilian. Inst. Or. II. 2, 12. At in Att. XVI. 14. ubi scriptum exstat: *vide, si forte in Tusculano esse possum,* erraremus *possim* scribentes: nam totum enunciatum ad circumlocutionem pronominis *id* adiectum est. Et in Ac. II. 30, 95. *illud quaero, si ista explicari non possunt, illud* explicatur. Non magis huc pertinent exempla Prov. Conss. 8. v. f. ubi haud cunctanter vel *persequetur* vel *persequatur* scribendum; et Diverss. X. 17. f. ubi *merebor* legendum suaserim, contextis praesens vix ac ne vix quidem ferentibus. Et ap. Plin. Epp. IX. 3. f. *dissentias* scribendum: quemadmodum pars Codd. apud Quintilian. XI. 3, 2. praebet *adiuvetur,* non obsequente Spaldingio. cf. et XII. 9, 16. Indubius videtur indicativus ἀποδοτικὸς de Or. II. 72, 292. ut si in refellendo adversario firmior esse oratio, quam in confirmandis nostris rebus *potest,* omnia in eum conferam tela.

Praeterita praesentibus sociata sunt de Legg. I. 3, 9. ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus. II. 20, 50. (Dant hoc Scaevolae) ut, si in testamento deducta (partitio) scripta non sit, ipsique minus ceperint — sacrisne alligentur? Acad. II.

20, 66. cum gaudeam, si simile aliquid invenerim. Diverss. V. 21. v. f. — p. Sulla 3. v. f. Praeteritum utrinque positum videmus de Fin. V. 9, 21. ut Plato ille — si sapiens non fuerit, nihilo melius quam quivis imperitissimus vixerit. Futurum conditionis est p. Sextio 23. m. (moneo vos) si necessitas vocabit, ne signiores sitis. Et de Or. II. 16, 69. hoc loco, ne qua sit admiratio, si tot tantarumque rerum nulla a me praecepta ponentur, sic habeto.

Nam quarti ordinis longe frequentiora exempla. Orat. I. vereor, ne si — effecero, tardem studia multorum. Lael. 12. med. praecipiendum est, ut, si in eiusmodi amicitias inciderint, ne existiment sqq. Acad. II. 24, 78. ut, si ostendero, nihil posse percipi, tu concedas sqq. Att. II. 18. f. ita te para, ut advoles, si inclamaro. Divin. II. 27. ut, si — mures corroserint, ne monstrum putemus. Off. I. 7, 24. cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. de Or. I. 18, 80. nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus sit, si quis omnium rerum — rationem — comprehenderit. III. 31, 124. neque tanta — obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo adspexerit. Adde Quintiliani loca V. 13, 37. VII. 4, 14. X. 1, 2.

In tertio ordine conditionalium, cuius exempla passim exstant, vix ulla est dissensio. Ut Plin. Epp. I. 5, 5. Vides, quod periculum (instaret s. fuisset), si respondissem. VI. 28. verebar, ne irascereris, si non fecissem. Addam, ne quid vel omisisse vel inepte contendisse arguar, in huius tertii conditionalium ordinis dictis sic suspensis fieri nonnunquam

posse, ut quod censebat Kruegerus, imperfectis non insit *τοῦ ἀδυνάτου* sive veri absimilis significationem. Ut de Or. II. 49, 201. Antonius de defensione sua Norbani disserens ait: Petebam a iudicibus, ut illud aetati meae, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent. — Patet autem, argumentum pro viri docti sententia hinc sumendum, prorsus nihil valere. Nam temporum sociandorum ratio postulat, ut praesentia vel imperativi a praeterito quodam suspensi mutentur in imperfecta, sensu manente; quibus inde imperfectis eiusdem formulae enunciata explicandi gratia adiici necesse est. Sic Antonii verba modo apposita extra orationem liquidam collocata talia fuerunt: aetati meae etc. — si iusto, si pio dolore me affectum videtis, concedite. Et a praesente suspensa dictio talis existeret: Peto a vobis, ut si — me affectum videatis, concedatis. Simili modo fit, ut plusquamperfecta periphrastico futuro exacto cedant, si a praesente pendent, et nihilominus rem quae fieri non possit, significent. Ut apud Quintilianum IX. 2, 41. (Cicero tractat vel exponit) quae facturus fuerit Clodius, si praeturam invasisset. — Recta oratione utens sic dicturus erat: quae fecisset Clodius, si invasisset praeturam. Et sic existimandum de loco Caesaris B. Gall. I. 44. qua abutitur mirum in modum Kruegerus p. 119. not.; quasi idem manerit loci ratio, sive recta sive liquida oratione utamur; inprimis cum Graecus, quem comparat, interpres recta oratione usus fuerit, expresseritque, quod latine dicturis non minus praesenti efferendum tempore foret.

§. 9.

Auctores perlustranti Latinos haud pauca offeruntur, quibus, quas conditionalium dictorum regulas posuimus, plane videntur eludi. Quare de his brevibus admonere, non ab re erit. Sunt enim, in quibus locis conditionis et consequentiae invicem ad sese relatae tanta observetur imparilitas, ut omnis analogia tolli et linguae usus non regulas, sed caecam aliquam fortuitamque sortem secuta videatur. Sed cum artis grammaticae hoc praecipuum sit negotium, ut loca de regulis exemta, et usum erroresque loquendi castigando in spatium, quam maxime fieri potest exiguum coërceat, vias omnes, quibus exempla sine idonea causa a verisimilitudine desciscentes explanemus, ingrediendas esse manifestum est.

Conditionalium ea est ratio, ut sublata causa tollatur eventus. Sed sunt multa exempla, particulas conditionales, ideoque huius generis speciem prae se ferentia, in quibus altero sublato, manet tamen alterum. Velut cum Cicero dixit ad Diverss. I. 4. *si qua conabuntur, provisum est:* hoc non invertere licet, ita ut dicas: at si non conabuntur, non provisum est. Nam provisum a prudentibus semper est; sive periculum post evenerit, sive non evenerit, cautio tamen manet. Eximemus igitur omnia de conditionalium ordine, in quibus *si* et *nisi* non lege causarum et effectuum posita sunt, sed cum explicatione restringendi munere funguntur. Huc spectant duo locorum greges. Alter longe frequentissimus is est, quo *si* pro *siquidem* (*weil ja, weil nämlich*) Graecorum *εἴπερ*, sive pro quoniam quidem (*ἐπειδήπερ*) usurpatum reperimus. Sic dicta omnia vel

parentheti vel additamenti loco censenda sunt. Huc refer illas notas et usu tritissimas locutiones: si potes, si poteris, si videtur, si placet, nisi molestum est, si opus est, si libet etc. Velut Att. XI. 15. videre pervellem, si potest videri. Diverss. XV. 4. p. m. mitto, quod invidiam — si per me licuisset, subire paratissimus fueris. Legg. I. 20, 54. Probe quidem sentis, si re ac non verbis dissiderent. Ernestus scripserat dissident, re parum perspecta: illud Goerenzius omnium librorum Mss. consensu revocavit. Causam vero is ipse ut perspectam haberet, tantum abfuit, ut adductis Wopkensio l. c. ad ND. I. 22, 61. et Bremio ad Fin. I. 8, 26. recta dicendi significandique, licet de re praesenti, saepe tamen imperfecta praesentium loco secum iungere contendat. Et de hoc quidem usu non certavero; possunt enim sat multa reperiri exempla, quibus praesens historicum cum imperfecto iungitur. Verum hoc non de solis verbis sentiendi compertum habemus. At illo loco imperfectum ut est in conditionalibus et quae sunt his similia, temporis sui notione ita caret, ut nihil nisi hoc significetur: Sentis quidem, quid rei sit, at sententia tua huc faceret, si re, non verbis dissiderent; quod secus est. Est igitur ellipticum genus loquendi, nostris hominibus ita interpretandum: *du hast ganz Recht, wenn nur die Sache, nicht die Worte bei jenen den Unterschied begründen möchten.* Item de Fin. I. 19, 62. et Legg. II. 18, 45. qui locus talis est: qui (Plato) si modo interpretari potuero, his verbis utitur. — Alii, *potero.* Mirabilior adhuc Goerenzius, qui illud pro Graeco optativo aoristi esse putat. Quem Graece


sic loquentem ferremus: *Πλάτων γὰρ τοιούτῳ τινὶ λόγῳ χρῆται, εἰ δὴ καλῶς ἂν μεταφράσαιμι?* Futuro *μεταφράσω* opus. Alia exempla, si p. siquidem, explicandi causa cum restrictione exhibentia, vides Legg. I. 5, 15. II. 3, 7. 10, 24. 14, 34. Acad. I. 4, 14. 7, 25. ep. ad Varronem p. 74. ed. Goerenz. II. 6, 15. 6, 17. 36, 116. Fin. I. 3, 7. II. 6, 17. IV. 6, 14. V. 32. extr. Cognata sunt his, quae loca per *etsi, cum* et *quoniam* quidem explicanda. Illud exstat de Or. I. 21, 94. Id si est difficile nobis, qui ante, quam ad dicendum ingressi sumus, obruimur ambitione et foro: sit tamen in re positum atque natura. — Ita et ib. 49, 215. et 50, 216. ubi clarius id patet, in altera enunciati parte ipso illo *etsi* posito. Cf. II. 40, 170. Non si Opimium sqq. Fin. I. 1, 2. Qui autem, si maxime etc. — Pro *cum* et *quoniam quidem* dictum *si* videtur Acad. II. 14, 44. Fin. III. 4, 15. 5, 17. fin. Tuscul. I. 3, 6. de opt. g. or. 7. p. Ligar. 3, 7. — Nonnulla tantum de multis exemplis eligenda censuimus.

Ab his, quae tractavimus, aliquatenus discrepant hi loci, quibus dictum specie conditionale non alteri cuidam sententiae opponitur, sed uno cuidam vocabulo, pronomini potissimum. Ut si dicas: *Veteres non, si quis reum noxium defenderet, pro crimine habuerunt.* Si esset dictum vere conditionalibus accensendum, sic oportet inverti posse: *sed si quis non defenderet, pro crimine habuerunt.* At hoc ineptum esse, quis non intelligit? Igitur enunciatum *si* praefixum habens uno vocabulo *id*, quod subaudiendum est, explicando inservit, totumque enunciatum *id si quis — defenderet* pro nomine uno

valet, quasi *rei defensione.* Nostri vel addunt vel subaudiunt *auf den Fall dafs*, quod Latine non satis commode dicitur. Huc refer illud supra a nobis positum Ciceronis ad Diverss. I. 4. si qua conabuntur, provisum est. ad Diverss. X. 11. Lepido omnia polliceor, si rempublicam respicere volet. Acad. II. 11, 34. In eo autem, si erit communitas cum falso, nullum erit iudicium (*κριτήριον*). — Idem est ac: *in communione cum falso.* de Fin. I. 8, 26. si quae in his corrigere voluit, deteriora fecit. Est, *ea, quae correxit, in deterius correxit.* 16, 51. quod si qui satis sibi — muniti videntur, deorum tamen horrent (conscientiam). Ubi *si* etiam pro *etsi* interpretere. 17, 56. Iam illud quidem perspicuum est, maximam animi aut voluptatem aut molestiam plus aut ad beatam, aut ad miseram vitam afferre momenti, si (*ea conditione, ut*) aeque diu sit in corpore. III. 14, 46. Stoicis non videtur optabilior — vita, si sit longa, quam si brevis. Plin. Epp. IX. 37, 3. Medendi una ratio, si (i. e. *ea, ut*) non nummo, sed partibus locem. X. 75, 3. Ego, si permiseris, cogito in arca vacua balineum collocare. — Adde Liviana exempla XXI. 21. med. XXIV. 27. et 40. XXV. 33. — Huius totius capitis exempla quaedam, sed parum discreta nec iudicata, ut quae bona fide pro veris dictis conditionalibus haberent, posuere Ramshornius p. 584. sqq. O. Schulzius p. 473.

Praeterea struendi sermonis ratio nonnunquam, si minus recte feceris, turbare possit. Id inprimis in dictis iis oblique enunciatis fit, quorum apodosis infinitivo suspensa est. *Dixerunt, sibi perfugium*

patere, si in res adversas incidissent, dubii sensus vel ambigua structura esse non potest; necesse est enim protasin *si* — *incidissent*, cum infinitivo *patere* coniungi, quoniam non sic loquimur: Dixerunt, si *incidissent*. Quamvis etiam in hoc atque talibus imperiti errare possint. Sed duplici modo ordinare sermonem licet v. c. Acad. II. 24, 78: Ut, si ostendero, nihil posse percipi, tu concedas, nunquam assensurum esse (sapientem). — Haec verba sic debent collocari: *tu concedas, si ostendero*. Sed possunt etiam ad hunc modum: *tu concedas, nunquam assensurum, si ostendero*. Discrimen si cui nondum satis patet, is vernaculo sermone usus statim quid intersit, intelliget.






U. C. BERKELEY LIBRARIES
C045894335

